This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



6000418230

32.

684.

- 33

EPISTOLAE MUTUAE

DUUMVIRORUM CLARISSIMORUM,

DAVIDIS RUHNKENII

ET

LUD. CASP. VALCKENAERII,

NUNC PRIMUM EX AUTOGRAPHIS

EDITAE

A

57 58.

GUILIELMO LEONARDO MAHNE.

VLISSINGAE

Ex Typographeo Max. Ant. Mahne.

1832.

684.

Has acceptas refero, d. 24 *Jul.* 1811, *viro optimo* Stephano Luzacio *et investigatori* G. L. Wassenario-Cattoviceno, *eruditissimo meique amantissimo adolescenti, mox d.* 28 *Julii* 1811 *acerbâ morte nobis erepto.*

D. WYTTENBACH.

BENEVOLO LECTORI

S.

RUHNKENIUM, *qui inter principes Literarum antistites unum e principibus locis obtinet, cum doctissimis quibusque viris suae aetatis per plurimas cultioris Europae regiones epistolarum commercia habuisse, id cum aliunde novimus, tum vero praecipue ex ipsius a Wyttenbachio nobis relictâ Vitâ constat. In illo enim vere aureo libro legimus pag.* 232: «Illud nunc » intelligi volumus, quantum librorum scriptione » absens absentibus, multis et ignotis, per totum » literarum orbem emolumenti attulerit: in quibus » et ego nomen profiteor meum, et semper profi- » tebor. Nullius enim, quotquot fuerunt Literarum » principes, scripta in legentium animos influunt » tantâ cum orationis suavitate, tantâ cum doctri- » nae luce ac praestantiâ, tanto cum pulchri hones- » tique sensu. Neque vero minus privatim multos » juvit, sive praesentes sermone, sive absentes » epistolis. In his, ut omittam nostrates, *Albertium*, » *Piersonum*, *Lennepium*, *Koenium*, *Eldikium*, » *alios*; exterorum nemo fuit ipsius aetate clarus » in Literis vir, cui non vel consilium de studiorum » viâ operisve alicujus instituendi perficiendique

» ratione, vel aliquam animadversionis lucem, vel
» aliquod editionis additamentum incrementumve
» impertiverit. Quod ne cui forte, eorum nominibus
» reticendis, temere et uberius quam pro rei veri-
» tate dixisse videamur, fuerunt ex horum numero,
» *Gesnerus*, *Ernestus*, *Heynius*, *Heusingerus*,
» *Musgravius*, *Toupius*, *Herelius*, *Villoisonus*, *Hot-*
» *tingerus*, *Brunckius*, *Schweighaueserus*, *Vossius*,
» *Matthaeus*, *Morellius*, *Rossius*, *Burgessus*, *Por-*
» *sonus*, *Edwardsius*, *Wolfius*, *Spaldingius*, *alii*,
» quos nominare omnes infinitum sit. Nec quis-
» quam fuit e nostratibus Literarum princeps, cui
» tam frequens cum exteris eruditis epistolarum
» consuetudo intercederet. »

Has igitur epistolas et colligendi et aliquando edendi consilium cepisse Wyttenbachium, ipse anno 1805 *his verbis in Bibl Crit. P. XI. pag.* 156 *testatus est:* « Atque hac recordatione, *scil. Epistolae Ruhn-*
» *kenii ad Vaassenium*, nolumus defungi, quin ho-
» mines doctos, si qui sunt, qui Latinas Ruhnkenii
» epistolas, sive ad se, sive ad alios scriptas, in
» manibus habeant, rogemus, ut eas nobiscum
» communicent; siquidem earum editionem moli-
» mur. Interest Literarum, interest studii elegan-
» tiarum et stili Latini, ne unam quidem senten-
» tentiam, accurate conscriptam, intercidere illius
» omnibus laudati viri, qui inde a renatis bonis
» studiis unus in paucis eleganter scribendi facul-
» tate excelluit. »

Deinde idem Wyttenbachius, anno 1808, *quum illam triennio ante a se factam invitationem parum sibi profuisse videret, eamdem denuo repetiit. Quantâ autem sermonis elegantiâ et persuadendi vi ac pondere hoc ab ipso factum sit, non aliunde melius intelligi sentirique posse arbitror, quam ex ipsis viri verbis. En igitur illa, quae leguntur in Bibl. Crit. P. XII. pag.* 91 : « Epistolarum Ruhnkenii et res » ipsa nos admonet, et id, quod modo de eo diximus. » Nam quod earum edendarum consilium professi » sumus proximae Partis pag. 156, et homines doc- » tos, qui sane haud pauci sunt, qui illius Epistolas » vel ad se, vel ad alios scriptas in scriniis habeant, » rogavimus, ut earum nobis exempla mitterent; » *non nisi* septem *ad nos venerunt:* de quibus sane » optimos viros, qui impertiverunt, multum ama- » mus, et nominatim praedicabimus : alii autem » quidam promiserunt se missuros : quorum prouti » benevolentiam nunc laudamus, ita beneficentiam » laudabimus, quum promisso steterint. In mani- » bus habemus *fere octoginta epistolas Ruhnkenii* » *ad nos scriptas*, inde ab initio notitiae nostrae, » usque ad illius vitae exitum. Apud ipsum inve- » nimus aliorum paucissimas; quippe plerasque » cremabat : suarum exempla nulla; quippe quae » factitare non solebat. — Illos igitur, penes quos » adhuc sunt Ruhnkenii epistolae, viros rursus et » majorem in modum rogamus, ut, si quid apud » eos vel communis Literarum utilitas, vel Ruhn- » kenii recordatio, vel nostra gratia valet, nobis » illarum copiam faciant. Nos affirmare haud vere-

» mur, has epistolas, quamvis plerumque familia-
» riter festinanterque scriptas, tamen eamdem,
» quam caetera ejusdem scripta, puritatem, per-
» spicuitatem, urbanitatemque referre, ac dignas
» esse, quae Mureti, Manutii, et ipsius Ciceronis
» epistolis comparentur. »

Post tantae autem humanitatis plenam, et non nisi publicae utilitatis gratiâ iteratam invitationem, si residuae Ruhnkenii epistolae continuo ex eruditorum scriniis prodiissent, et undique ad Wyttenbachium quasi confluxissent, num id cuiquam merito mirum videri potuisset? Verum, Dii boni, quam longe aliter res cecidit! Ad Wyttenbachium haud plures, quam decem *missas esse, tam certum est, quam quod est certissimum. Hoc enim ex animi sententiâ ac religiose affirmo.*

Undenam igitur, quaerat fortasse quis, ista vix credibilis frustratio? Veram quidem ejus causam me ignorare fateor, at verisimilem tamen reperisse mihi videor. Quum enim aliquamdiu de istâ epistolarum paucitate cogitassem, inprimis vero miratus essem, quod viri probi et honesti, iidemque Wyttenbachii amici ac familiares, Heynius, Schweighaeuserus, Wolfius *et alii, promissis non stetissent: primum istius temporis tristissimam rerum publicarum conditionem in memoriam mihi revocavi, et post istam, quamvis ingratam, illarum recognitionem. mox eo adductus sum, ut tandem credere coeperim; quod etiam adhuc credo, istius adeo exigui acceptarum*

epistolarum numeri principem causam non in eo quaerendam esse, quod viri docti illas, quas in manibus haberent, mittere omnino non voluerint, sed quod propter bellicas calamitates, quibus sub duro Napoleontis imperio major Europae pars oppressa tenebatur, id tuto facere non potuerint. Verum sive quis hanc opinionem meam probet, sive eam rejiciendam putet, istamque parum felici successu his factam invitationem aliis nescio quibus causis tribuendam esse persuasum habeat; hoc certe extra omnem dubitationem positum est, mox anno 1811, *repertis in patriâ nostrâ quibusdam clarissimorum duumvirorum*, Ruhnkenii *et* Valckenaerii, *epistolis mutuis, Wyttenbachium fortunam magis secundam et beneficam expertum esse. Nam in Philomathiâ, Lib. III. pag.* 18, *eruditam civitatem hoc laeto nuntio beavit:*
« Per hanc opportunitatem, *habitam scil. auctionem*
» *librorum magni Valckenaerii*, aliud quoque mihi
» mercuriale inventum, sive ἕρμαιον, bonus Wasse-
» naerius attulit. Alias multas Valckenaerii schedas
» apud ejus generum Stephanum Luzacium, virum
» honoratissimum, servari noram: in his esse Ruhn-
» kenii et Valckenaerii epistolas non noram. Has
» Wassenaerius, sciens quantum ego in colligendis
» Ruhnkenii Epistolis laborarem, pervestigavit,
» reperit, evolvit: eam, quâ Valckenaerio inven-
» tum suum in Photio narrat, quodque ego quon-
» dam e Ruhnkenio auditum, non accurate recor-
» dans, universe in hujus Vitâ significavi: hanc
» igitur descripsit, descriptam continuo cursim ad
» me detulit. Ego, hoc indicio admonitus, caeteras

» omnes has epistolas a Luzacio, viro humanissimo, » et petii, et accepi. »

Jam vero ex his, quae huc usque retuli, abunde apparere arbitror, quibus Ruhnkenii Epistolis Collectio Wyttenbachiana *constiterit. Primum locum in eâ occupabant illae* fere octoginta *ad ipsum Wyttenbachium scriptae: deinde sequebantur* septendecim *aliae, partim ad nostrates, partim ad exteros datae: quibus tandem XXVII epistolae Ruhnkenii et Valckenaerii mutuae accesserunt* (1). *Nam quod nonnulli putarunt, et aliis adeo narrasse dicuntur, Wyttenbachium postea plures etiam alias accepisse, ideoque epistolarum* numerum insigniter auctum esse, *id tamquam fictum quid et temere excogitatum nullam omnino fidem meretur.*

Denique adhuc superest, ut de Epistolis Mutuis, *quae hoc fasciculo continentur, paucis agam. Illarum argumentum magnam partem versatur in explicandis et emendandis iisdem Veterum scriptorum locis, quae Ruhnkenius in illis duabus nulli Literarum cultori ignotis* Epistolis Criticis *tractavit, quarum altera ad Valckenaerium Lugd. Bat. A.* 1749, *altera ad Ernestum Lugd. Bat. A.* 1751, *prodiit. Sed quum Ruhnkenius ambas has epistolas successu temporis mirum in modum locupletiores fecerit, et denuo eas ipse conjunctim Lugd. Bat.* 1780 *ediderit,*

(1) Ad has XXVII Wyttenbachio redditas epistolas successu temporis *quatuor* aliae accesserunt, idque singulari beneficentiâ viri humanissimi *Io. Theod. Bergmanni*, qui eas mihi dono dedit. Leguntur pagg. 1. 44. 107. 120.

atque adeo post Ruhnkenii obitum tertia editio Lugd. Bat. 1808 *prodierit : equidem in gratiam eorum, qui has nunc primum publici juris factas epistolas cum illis ter deinceps editis conferre velint, singula loca, quoad ejus fieri potuit, breviter indicavi, habitâ semper ratione paginarum, quae in tribus illis utriusque epistolae editionibus Lugduno Batavis diversae sunt. Primam editionem litterâ A. I et A. II significavi: secundam vero B., et tertiam C. appellavi. Et quum praeterea in illis, quae vulgo nominantur* Opuscula Ruhnkenii Varia, *quorumque duae sunt editiones, prior* Io. Theod. Bergmanni, *Lugd. Bat.* 1823, *posterior* Frid. Traug. Friedemanni, *Brunswigae* 1828, *nec non in Epistolis Ruhnkenii ad Io. Aug. Ernestum, a* Tittmanno *editis, Lipsiae* 1812, *haud pauca legantur, quae cum his* Epistolis Mutuis *conveniant, et idcirco conferri mereantur: equidem illa loca item accurate indicare studui. Reliquas vero animadversiones, quas addere mihi proposueram, quo melius nonnulla in his Epistolis obvia intelligerentur, ob causas, quas in subsequente quodam fasciculo exponam, addere mihi nunc non licuit.*

Quibus dictis, B. L., huic praefationi finem jam impono, idque eo voto, eâque spe et exspectatione, fore, ut tibi harum epistolarum lectio aeque gratam delectationem offerat, atque illarum edendarum provincia mihi jucundam lucubrationem praebuit.

Scripsi Velsingae
d. 15 *Aug.* 1831. G. L. Mahne.

INGENII ET DOCTRINAE LAUDE CUMULATO VIRO,

LUDOV. CASP. VALCKENAERIO,

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Qui te ob praestantem et prope singularem eruditionem dudum sum admiratus, nunc etiam propter humanitatem, insigni argumento nuper probatam, mirifice amo. Tuo enim de nobis, literisque bene merendi studio acceptum refero Constantin. Harmenopulum, cui tot, tamque egregia ornamenta aptavit docta Antonii Contii manus. Pro quo sane munere et nunc privatim gratias tibi ago maximas, et publice aliquando agam majores. Utinam Contiano exemplari mox accederet aliud ejusdem auctoris, infinitis divini viri, Jacobi Cujacii, animadversionibus insigne; quod in publicâ Lipsiensium Bibliothecâ asservatum, usibus meis se vindicaturum recepit JCtus supra Germanorum captum eruditus, Joan. Daniel Ritterus, Codicis Theodosiani editor (1). Jam etsi penes me sint Codd. Vaticanorum et Venetorum collationes, a Gerarto Falkenburgio, digno Cujacii discipulo, institutae; nec vana spes affulserit, brevi ad me perventuras variantes Lectiones a Claud. Salmasio e Codd. Palatinis decerptas: magnopere tamen vellem, mihi ipsi Cod. mstum oculis

(1) Cff. Bergm. T. II. p. 785, et Friedem. T. II. p. 565.

usurpare liceret. Saepe enim doctorum hominum in excutiendis membranis industriam desidero. Sic v. gr. nemo duo signa, summe necessaria, quibus Harmenopulus vetera a novis, vel aliena a suis, distinxerat, e Codd. annotavit. Ipse in praefat. p. 7. testatur : Τοῖς μὲν παρ' ἡμῶν προστεθεῖσι τίτλοις καὶ κεφαλαίοις τὸ ἡλιακὸν ἔξω σημεῖον ἐγγέγραπται, τὸ χρονικὸν δὲ παλαιοῖς.

Liceat nunc mihi, vir eximie, ne epistolam plane inanem habeas, te aliquot emendationum capere arbitrum. Et quamvis non desint argumenta ex elegantiori Jurisprudentiâ desumta, malim tamen, cum mihi ad te, id est, ad principem in humanitatis studiis virum scribendum sit, missis JCtorum controversiis, de aliquot Graecorum auctorum locis tecum confabulari. Age igitur, referamus nos ad Callimachum, divini ingenii et admirabilis artis poëtam; sed qui eo pejus a librariis et magistellis acceptus est, quo magis illorum captum excedebat.

H. in Apollin. v, 43 et 44 :

Κεῖνος ὀϊστευτὴν ἔλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν.
Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή.

Agnoscis, quo es acumine, interpolatoris manum. Abeat igitur v. 44, unde male pedem intulit. Quâ occasione turpis lacinia assuta fuerit, inquirere parum refert. Putem tamen, eam vel scholii vicem initio praestitisse, vel a quodam, cui versus 41. paulo obscurior videbatur, illustrandi gratiâ fuisse adjectam. (1).

(1) Ep. Cr. II. A. p. 13. B. p. 132. C. p. 200. Tittm. p. 3., Bergm. T. II. p. 816, Friedem. T. II. p. 626. Vid. Ernest. ad Callim. l. l.

H. in Dian. v. 8 et 9 :

Δὸς δ᾽ἰοὺς καὶ τόξα. ἔα πάτερ. οὔ σε φαρέτρην,
Οὐδ᾽ αἰτέω μέγα τόξον.

Dici vix potest, quam frigidum sit atque ineptum illud, ἔα πάτερ. Emendo :

Δὸς δ᾽ἰοὺς καὶ τόξα. εὔπτερον οὔ σε φαρέτρην,
Οὐδ᾽ αἰτέω μέγα τόξον.

Error natus est e scribendi compendio, εὔπτερ. Hanc conjecturam memini vehementer probasse eum, cui omnia mea probari cupio, Tib. Hemsterhusium (1). Caeterum non est negligendus locus Bionis Idyll. 1. 82.

. . . . . χὠ μὲν ὀϊστὼς,
Ὃς δ᾽ἐπὶ τόξον ἔβαιν᾽, ὃς δ᾽εὔπτερον ἄγε φαρέτραν.

H. in Dian. v. 13 et 14

Δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορήτιδας Ὠκεανίνας,
Πάσας εἰνέτεας, πασας ἔτι παῖδας ἀμίτρους (2).

Quid opus fuit addere, ut nymphae illae novennes ἀμίτροι essent, cum nunquam virgines novennes zonâ cinctae fuerint, sed tantum illae, quae poterant *Tauri in Venerem*. Nosti caetera. Praestat igitur hunc, et 43 versum levissimâ mutatione ita refingere :

Πάσας οἰέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.

Voce οἰέτεας, praeter Homerum, usus est Moschus Idyll. II. V. 28 et 29.

. . . . . φίλας δ᾽ἐπεδίζεθ᾽ ἑταίρας
Ἥλικας, οἰέτεας, θυμήρεας, εὐπατερείας.

(1) Aliter in Ep. Cr. II. B. p. 140. C. p. 227. Tittm. p. 4, Bergm. T. II. p. 817, Friedem. T. II. p. 627.

(2) Ep. Cr. II. A. p. 23. B. p. 141. C. p. 228. Vid. Ernest. ad Callim. l. l.

H. in Del. v. 125 :

. . . . . ἀλλά μοι Ἥρη
Δαψιλὲς ἠπείλησεν. . . .

Δαψιλὲς hoc loco quis ferat? Lege :

. . . . . ἀλλά μοι Ἥρη
Δασπλὴς ἠπείλησεν. . . . . .

Vocem Δασπλὴς optime exponit Hesychius. De emendatione nostrâ, qui totum hymnum accurate perlegerit, non dubitabit (1).

H. in Cerer. v. 70 et 71 :

Τόσσα Διώνυσον γὰρ ἃ καὶ Δάματρα χαλέπτει
Καὶ γὰρ τᾷ Δάματρι συνωργίσθη Διόνυσος (2).

Dele v. 71. frigide hic a poëtastro quodam insertum. Talia, fateor, in poëta alio, neque pessimo, ferrem : in Callimacho, qui sibi in nullâ re magis, quam in admirabili illâ, nec ulli mortalium imitandâ brevitate placuit, ferenda non puto. Simile assumentum ex H. in Lavacr. Pallad. v. 73 et 74 ejecit Hemsterhusius noster (3).

Sed alio tempore plura. Velim tamen sententiam mihi tuam impertias de versu 176 H. in Del., ubi me, nescio quomodo, offendit illud βουκολέονται;

(1) Ep. Cr. II. A. p. 30. B. p. 155. C. p. 242. Tittm. p. 5., Bergm. T. II. p. 819., Friedem. T. II. p. 629. Vid. Ernest. ad Callim. l. l.

(2) Ep. Cr. II. A. p. 38. B. p. 171. C. p. 259. Tittm. p. 5., Bergm. T. II. p. 819., Friedem. T. II. p. 629. Vid. Ernest. ad Callim. l. l.

(3) Ep. Cr. II. A. p. 36. B. p. 165. C. p. 252. Tittm. p. 5., Bergm. T. II. p. 819., Friedem. T. II. p. 629. Vid. Ernest. ad Callem. l. l.

nec satis placet appositus ab Interpretibus color. Referebam illud aliquando inter Callimachi παρακεκινδυνευμένα, inprimis quum inciderem in Moschum Idyll. II. 5. Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων. Si tu, vir magne, locum mendi postulaveris, mihi parata conjectura est.

De ipso Callimacho sic sentio, non habere vetustatem, quem huic, sive ingenium sive artem spectes, opponere possit. Ac licet idem passim summis laudibus celebretur, nondum tamen mihi pro dignitate satis laudatus videtur. Si quando plus otii fuero nactus, Hymnos ejus ad Dionysii Longini aliorumque Criticorum veterum lapidem Lydium exigam, et hunc prope solum omnes consummati poëtae numeros implesse, liquide demonstrabo.

Sed suavitate tecum loquendi longius me provehi sentio: quamquam tu, quâ es animi magnitudine, facile ignosces garrulitati meae. Juvat autem acerrimo judicio tuo subjicere specimen mearum in Hesychium conjecturarum. Nosti, primum hujus Glossographi errores feliciter detexisse virum sine exemplo magnum, Richardum Bentlejum; hunc vero, tamquam signo sublato, secutos esse triumviros praeclaros, Kusterum, Hemsterhusium et Albertium. In Angliâ nuper idem quoque tentavit Jo. Taylor, V. Cl., qui tamen, quidquid in eo capite tradit, insigni impudentiâ aliis fere surripuit, Kustero maxime. Horum virorum exemplo excitatus, idem praestare ausus sum: benene, an secus, tu ex pauculis hisce judicabis. Interseram vero aliquot locorum restitutionem, non quod ibi Hesy-

chium peccasse existimem, sed ut tuam de iis sententiam eliciam (1).

Καρυμνὸν, μέλαν. Leg. κἀρεμνὸν (pro καὶ ἐρεμνόν): quamvis facile largiar Hesychium dedisse κἀρυμνόν. Nam et supra: ἐρυμνὸν, — σκοτεινόν. Hac igitur parte Hesych. non peritior fuit librariis Lycophronis, qui v. 681. easdem voces confuderunt, aut scholiis ejusdem poëtae interlinearibus, nondum editis, quae nuper e Galliâ secum attulit, Gerardus Meermannus, amicus noster, quae v. 78. ἐρυμνὸν simili errore interpretantur σκοτεινόν.

Κατέσπασε, κατέπιεν. Forte alicui in mentem venerit κατεπίεσεν. Frustra. Namque haud dubitandum est, quin glossa ad locum pertineat simillimum huic, Callimachi H. in Del. v. 274. — ὁ δὲ γλυκὺν ἔσπασε μαζόν. De hoc Glossarum genere acute monuit coelestis prope ingenii vir, Tib. Hemsterhusius, ad vocem Αἰγείοις.

Κατεστήριξεν, ἀρχῇ νόμῳ ἀπέδειξεν, ἀπέδωκεν, κατεστηλίτευσεν. Ordo glossarum turbatus est. Restituo: Κατεστήριξεν, ἀρχὴν νόμῳ ἀπέδειξεν. Deinde ab initio: Κατεστηλίτευσεν, ἀπεδίωξεν, notione scil. judiciali.

Κλεμμύειν, κηρύσσειν leg. καμμηνύειν. Supra Καταμηνύειν, κατακηρύσσειν.

Κρίνα, ἄνθη etc. Confundit more suo κρίνα et κρίμνα. Vide Lycophron. V. 607 et 608, ibique Tzetz., sicut

(1) Operae pretium est, reliquam hujus epistolae partem conferre cum Epistolâ ad Jo. Albertium, quae legitur apud Bergm. T. II. p. 878, et apud Friedem. T. II. p. 743.

eum emendavit R. Bentlejus ad Callim. Fragm. n. CCV.

ΚΥΛΛΑΙΝΩ, θυμαίνω. Monstrum verbi. Lege ΣΚΥΔΜΑΙΝΩ. Vide inf. Σκυδμαίνειν. Σ. initiale deest, ut sexcenties. In hac ipsa litera Κ. legimus Καρδάμωσσω, καρθμὸς, etc. Quoties vero Hesychius literas Α. Δ. Λ. et Μ. confuderit, Te, mi Valkenaeri, minime omnium fugit. Infra est : Σκυλμανεῖς, θυμωθήσῃ, solito errore Λ pro Δ.

Λασκάζει, φλυαρεῖ, θωπεύει, ῥηγνύει. Recte Λασκάζει, φλυαρεῖ. Sed θωπεύει et ῥηγνύει est Λακίζει. Vide Hesych. in voc. et Lycophron V. 1113. ibique Tzetz.

Λασκαρεῖ, διαφεύγει. Supra Δασκάζει, ὑποφεύγει. Non est dubitandum, quin utrumque ex Homerico ἠλασκάζει corruptum sit; licet ad v. Λασκάζει aliter videatur hominum doctissimo et candidissimo, Joanni Alberti. Similis error inf. in voc. Λυσκάζει.

Λαταγεῖ, ψοφεῖ. l. πλαταγεῖ. Mox : Λαταγεῖ, ψοφεῖ, τύπτει. l. πλαταγεῖ . . . . . κτυπεῖ.

Λαταγῇ, κροτάλῳ κ. λ. l. πλαταγῇ. Vide Scholiast. Apollon. Rhodii Lib. II. V. 1057. et Suid.

Λεδδὰ, ἡ ἐξοχὴ τῶν πτερνῶν. l. Δέραδα, τὴν ἐξοχὴν τῶν πετρῶν. Ad eundem modum refinge, quod supra est, Λεάδα, κ. λ.

Λεκτοὶ, ἀριστεῖς. l. Δεκτοὶ, ἀρεστοί. Luc. IV, 24.

Λερναία χολή. Forte quis cogitet de hydrâ Lernaeâ. Sed hoc altius petitum videtur. Corrigo : Ἀερνία; ὄχολή.

Λιάζει, ῥίπτει, ταράσσει, ἢ λίαν σπουδάζει. Recte Λιάζει exponit λίαν σπουδάζει. Sed pro prioribus malim Δαΐζει, ῥίπτει, σπαράσσει. Sed Tu conferas Vocc.

Λιάζειν, Λισχάσει, et Λιχάζειν, et, quid levi conjecturae tribuendum sit, judices. (1)

Λίαμος, λίμαθος. Ridiculus error. Lege Λαμος.

Λίγξαντα, ἐπιθυμήσαντα. Λιχάσαντα. Confundit Λίλαντα, a Λιλ, quod infra, et Λίξαντα. Vide Lyc. V. 131 et 353, ibique Schol.

Λιγνεμαα, τρέπομαι, λιμπτεύ. Lege Λιτέομαι, τρέπομαι. Sed turbat quod sequitur ΛΙΝΑΥΤΙΑ. Fallor, aut vere conjeci, ab initio legendum esse: ΛΙΝΑ, ΛΙΚΤΥΑ.

Λινοπλῆκες, ὀρνεοπλῆκες. l. Λινοπλῆκες.

Λιαρὰν, etc. Tres glossas confundit Hesych. Λιαρὰν, Λιερὸν, εἰ Λιπαρὸν. Λιαρὸν est, χλιαρὸν, θερμὸν, ἡδὺ, ἁπαλὸν, εὔκρατον. Λιερὸν, ὑγρόν. Λιπαρὸν, ἀγαθόν. Quamvis, ἀγαθόν, etiam ad Λιερὸν referre possis.

Λάξαντα, ἐπιθυμήσαντα. l. Λίξαντα. Idem vitium est in V. Λίσσαι.

Λαπτεῖν, πολὺ λαλεῖν. l. φλυαρεῖν. Quae corruptela simillima est ei, quam Kusterus in voc. Λιάζειν et Λιάζει patefecit.

ΛΥΧΝΟΝ, πάνυ λαμπρόν. l. ΛΥΧΕΝΑ. Quis risum ad talia contineat?

Λιφαὰ, πικρόν. l. Ἀωρον.

Sed manum de tabula. Restat, ut, quid novi a Germaniae eruditis exspectandum sit, Tibi impertiam. Scias igitur accuratissimae doctrinae Criticum, Chr. Gottl. Schwartzium, qui nuper egregiâ curâ Plinii Panegyricum expolitum dedit, totum in eo

(1) Λιάζειν exstat ap. Hesych. p. 468: Λισχάσει frustra quaesivi: fortasse scribere voluit Ruhnkenius λιχάζει, quod cum sequente verbo λιχάξει legitur pag. 490.

esse, ut Panegyricos veteres simili cultu exornet. At vir elegantissimus, Joan. Augustus Ernesti novam parat Suetonii editionem, et, ut audio, plurima, in quibus ipsi Casaubono aqua haesit, felicissime emendat. De Sophocle Wolfiano nihil certi accepi; neque ejus apud me magna est exspectatio. Sed tanto majus me desiderium tenet Dionis Cassii, quem severi judicii vir, Hermannus Samuel Reimarus, quondam Hemsterhusianae et Schultensianae disciplinae alumnus, jam Hamburgensibus prelis subjecit. De hac sane editione omnia tibi magnifica promittere ausim. Nam textus infinitis locis integrior dabitur ope vetustissimorum Codicum, quos cum Celeb. Reimaro communicarunt Eminentiss. Cardin. Quirinus, et nuperrime Richardus Meadius, alter Italiae, alter Angliae, praecipuum decus. Symbolam praeterea contulit Wesselingius, et propediem conferet Hemsterhusius. Vale, o decus nostrum Valckenaeri, mihique inter admiratores tuos, et (si hoc quoque petere fas est) inter amicos locum concede. Joan. Schraderum, peritissimum elegantiarum arbitrum, nisi grave est, meo nomine saluta. Frater tuus, itemque nepos, suavissimi juvenes, prosperâ valetudine utuntur, Teque salvere jubent. Iterum Vale. Dab. Lugd. Batav. d. 18. Feb. 1748.

EXCELLENTIS DOCTRINAE VIRO,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Mitto ad te Richeji Vindicias Praetoris Romani, quas nuper ob singularem praestantiam recudendas curavi (1). Tu explicatâ, ut soles, fronte leve munusculum accipias, mihique favore tuo ad proprios foetus producendos animum addas. Liceat nunc ad literas tuas, omnis eruditionis et humanitatis sale perspersas, paucis respondere. Ac conjecturis quidem tuis in Callimachum nihil ingeniosius ac venustum magis excogitari potest. Inprimis perplacet emendatio v. 180 Hymn. in Del., quâ verissimam lectionem γυπόνος restituis (2). Idem locus me etiam satis diu torserat. Sed vellem, sagacissime Valckenaeri, alteram versûs partem, καὶ οὐκέτι μοῦνον ἀκούω, eâdem ingenii felicitate refecisses. Nam, ut alia taceam, vel solum illud καὶ, quod Callimachus, sequenti vocali, semper corripit, manifesto indicio est, locum in mendo cubare. At quid tibi videtur de sexto ab hoc versu, Ἐν πυρὶ τοὺς φορέοντας κ. λ.? Mihi, fateor, aqua haeret. Interea dum his aliisque

(1) Conf. Bergm. T. II. p. 793 et Friedem. T. II. p. 575.

(2) Valck. ad Eurip. Phoen. pag. 503 : Ernest. ad Callim. l. I. Tittm. p. 5 : Bergm. T. II. p. 816, et Friedem. T. II. p. 626.

opem feras, conjecturas quasdam meas limatissimo judicio tuo subjiciam. Neque enim quisquam est, si ab Hemsterhusio discessero, quem libentius capiam correctionum mearum arbitrum.

Hymn. in Jov. v. 38 (1).

. . . . . τὸ μὲν πόθι πουλὺ κατ' αὐτὸ
Καυκώνων πτολίεθρον . . . . . .

Lege . . . . . τὸ μὲν πόθι πουλὺ κατ' αἰπὺ
Καυκώνων πτολίεθρον . . . . . .

Αἰπὺ πτολίεθρον, nosti, apud Homerum et alios utramque facere paginam.

Eod. hymn. v. 55 (2).

Καλὰ μέν ἠέξευ, καλὰ δ' ἔτραφες, οὐράνιε Ζεῦ.

Hunc versum Callimacho indignum judico, neque ab ipso profectum credo. Quanto luculentior atque adeo magis Callimacheus sequens est, qui eandem rem aliis tantum verbis effert :

Ὀξὺ δ' ἀνήβησας, ταχινοὶ δέ τοι ἦλθον ἴουλοι.

Hymn. in Dian. v. 65 (3).

Οὐδέποτ' ἀφρικτὶ μακάρων ὁρόωσι θύγατρες.

Quis non vidit, poëtam a Deorum filiabus ad hominum transire? Repone igitur,

Οὐδέποτ' ἀφρικτὶ μερόπων ὁρόωσι θύγατρες

(1) Ep. Cr. II. A. p. 10. B. p. 127. C. p. 215. Tittm. p. 5 : Bergm. T. II. p. 816 : Friedem. T. II. p. 626. Quam tamen correctionem non necessariam judicavit Ernest. ad Callim. l. l.

(2) Ep. Cr. II. A. p: 11. B. p. 128 : C. p. 216. Cf. Ernest. ad Callim. l. c. Tittm. p. 13 : Bergm. T. II. p. 827 : Friedem. T. II. p. 635.

(3) Tittm. p. 5 : Bergm. T. II. p. 818 : Friedem. T. II. p. 628. — Caeterum de hab conjecturâ nihil exstat in Epist. Criticâ, et idcirco Ernestus eam non meminisse videtur.

Totus hic locus elegantissimus est, inprimis v. 70.

ἡ δὲ τεραύνας
Δίψει ἔσω κόλπους, θεμένη ἐπὶ φάσσι χεῖρας.

Quem miror eruditos Interpretes non contulisse cum hoc Juvenalis Sat. III. v. 175:

cum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans (1).

Eodem hymn. v. 118 (2).

τὸ ῥα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί.

Malim, Τό ῥα πατρὸς ἀπαστράπτουσι κεραυνοί.

Hymn. in Del. v. 14 (3).

Ἰκαρίου πολλὴν ἀπομάσσεται ὕδατος ἀχνήν.

Locum elegantiorem reddamus scribendo:

Ἰκαρίου πολλὴν ἀπομάσσεται ὕδατος ἀχνήν.

Eod. hymn. v. 205 (4).

Ἔννεπες. ἡ δ' ἄρρηκτον ἅλης ἀπεπαύσατο λυγρῆς.

Vere mihi videor conjecisse:

Ἔννεπες. ἡ δ' ἄρα δὴ τότ' ἅλης ἀπεπαύσατο λυγρῆς.

Haec omnia pluribus vel exemplis vel rationibus probarem, nisi meminissem, me ad te, id est, virum in his literis vere magnum scribere.

De Joanne Tayloro nuper liberius sententiam

(1) Ep. Cr. A. p. 26: B. p. 145: C. p. 231.

(2) De hoc loco non agitur in Ep. Crit. II., neque ejus mentio fit apud Ernest. ad Callim. Tittm. p. 5: Bergm. T. II. p. 818: Friedem. p. 628.

(3) Ep. Cr. II. A. p. 26: B. p. 149: C. p. 236. Cf. Ernest. ad Callim. l. c.

(4) Ep. Cr. II. A. p. 32. Verum in B. p. 158 et C. p. 245 hic quidem locus commemoratur, sed de propositâ conjecturâ nihil exstat. Ernest. ad Callim. l. l. dicit pro πότ' sensum postulare τότ', eoque reposito correctionem satis blandiri. Atqui sic distincte ad Valckenaerium scripsit Ruhnkenius.

dini, non mea, sed Hemsterhusii judicio fretus. Is enim in familiari sermone, cui et Lennepius noster aderat, ingenue fatebatur, se mediocrem in Tayloro deprehendisse Graecae linguae peritiam, et ingenium, si cum Marklandiano comparetur, prope hebes; eundem emendationes Hesychii magnam partem sarripuisse aliis, in novis, quas ipse protulisset, aliquoties pueriliter esse lapsum: id quod ὁ μέγας exemplis in medium allatis demonstrabat. Memini etiam d'Orvillium parum tribuere Tayloro, quem inprimis offendebat paedanticum, ut vocabat, scribendi genus, et facetiae frigidae ac nimis quaesitae. Idem in Lysiae versione aliquot centum adversus Grammaticen Latinam peccata notabat.

Vale, Vir Eximie, meque, ut amas, ama. Meermannus noster plurimam tibi salutem impertit. Dab. Leidae d. 10 Junii 1748.

CELEBERRIMO VIRO,

L. C. VALCKENAERIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Semper existimavi, Valckenaeri cultissime, animam tetricae Jurisprudentiae studio fessum nulla re melius, quam veterum poetarum lectione, refici posse. Horum igitur monumenta cum accurate cogitateque legerim, necesse fuit in multas me salebras incidere,

ubi commoda expediendi ratio erat quaerenda. Quid quaeris? brevi tot nobis animadversiones subnatae sunt, quas liber, quantumvis grandis, vix caperet. Jam cum nihil aeque extimescere soleam, ac grandioris libri editionem, constitui, molestiae evitandae causâ, aliquot Epistolas Criticas, quarum quaeque septem octove plagulis constet, publici juris facere. Harum prima, quae emendationes in Hymnos Homericos et Hesiodum continet, ac maximam partem in spuriis versibus detegendis versatur, Ill. nomini Tuo inscribetur. Cui enim potius Homeridarum castigationes inscriberem, quam Tibi, ὁμηρικώτατε Valckenaeri? Initio Epistolae disseram de praecipuo Critici officio, cui qui satisfacere velit, judicare debet, ut Cicero alicubi ait (1), utrum versus sint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. Hoc rarius, quam par est, a recentioribus Grammaticis factitatum novimus. Cujus rei causae potissimum tres sunt: 1.° Judicii sani rectique inopia. 2.° Puerilis superstitio. 3.° Desultoria in legendis auctoribus levitas. Deinde accurate adversus gravissimum hominem, Thucydidem probabo, non esse Homerum auctorem Hymni in Apollinem, nedum ceterorum. Harum autem observationum partem, antequam operis tradatur, ad Te, mi Valckenaeri, mittere visum est, ut, si qua a nobis perperam tentata sint, amice moneas; sin recte, etiam confirmes. Quodsi singula operosius inquirere, graviora negotia non permittant, velim tamen singulis emendationibus nostris

(1) Cic. ad Fam. L. IX. ep. 10.

appinas haec duo verba : *Placet* vel *non placet* (1). Nolleni enim aliquid a me proferri, cujus postea poeniteret.

Incipiamus ergo ab illo ipso loco, quem Thucydides Lib. III. pag. 230. edit. Duk. ex hymno in Apollinem laudat.

V. 148.

Αὐτοῖς σὺν παίδεσσι καὶ αἰδοίης ἀλόχοισιν

Plerique Codd. in fine versûs habent : σὺν vel σὴν ἐς ἀγυιάν. quod sane elegantius est, quam ut a librariis proficisci potuerit. Itaque sic refingo :

Αὐτοῖς σὺν παίδεσσι, γύναιξί τε, σὴν ἐς ἀγυιάν.

Per ἀγυιὰν intelligo *aram Apollinis*, de quâ vid. Clar. Kuster. ad Suidam V. Ἀγυιεύς. Sed hoc fortasse tibi altius repetitum videatur. Certiora igitur de sequentibus afferamus (2).

V. 171.

Ὑμεῖς δ' εὖ μάλα πᾶσαι ὑποκρίνασθε ἀφ' ἡμέων,
vel ἀφήμως.

Insignis h. l. negligentia est Editorum Thucydidis, qui veram lectionem a pluribus Codd. suppeditatam, tamquam vanam, silentio praeterierunt. Omnino scribendum :

(1) Quâ ratione Valckenaerius huic rogationi satisfecerit, ex summi viri animadversionibus apparebit, quas deinceps subjiciam.

(2) In Ep. Cr. I. de hoc loco ne gry quidem. At Valckenaerii haec sunt : « *Tecum vix dubitem, quin ea scripserit Thucydides, quae praeferunt Mss.* Σὺν σφισι τεκέσσι, γυναιξί τε, σὴν 'ες ἀγυιάν. *Homeri caeterorumque loca citata librorum editores e vulgatis libris passim depravarunt, ut et loca Novi Foederis editores scriptorum Ecclesiasticorum. Ubique peccat in nostris Stephanus.* »

Ὑμεῖς δ' εὖ μάλα πᾶσαι ὑποκρίνασθ' ἐὔφήμως (1).

Dicerem, etiam Scholiast. hanc lectionem ante oculos habuisse, nisi me Hesychius retineret V. Ἀφήμως. Sed quid si Hesychii glossa ex hoc turbido fonte manaverit? A quâ opinione ut non sum alienus, ita ἐὐφήμως h. l. explicarim σὺν ἐπαίνου, non ἥσυχα, vel ἄνευ θρόου.

Sequuntur v. 173. 174. 175. 176.

Τοῦ πᾶσαι μετόπισθεν ἀριστεύουσιν ἀοιδαί.
Ἡμεῖς δ' ἡμέτερον κλέος οἴσομεν, ὅσσον ἐπ' αἶαν
Ἀνθρώπων στρεφόμεσθα πόλεις εὖ ναιεταώσας·
Οἱ δ' ἐπὶ δὴ πείσονται, ἐπεὶ καὶ ἐτήτυμόν ἐστιν.

Hos versus, fungus sit oportet, qui a venustissimo hujus hymni auctore profectos esse credat. Nam primum v. 173. quippe ad Homerum pertinentem, non praeteriisset Thucydides, si eâ aetate in libris jam esset repertus. Deinde istud, ἀριστεύουσιν ἀοιδαὶ, Nonni aevo dignius est, quam Homeri. Denique v. 174 et 175., maxime 176., adeo sunt inficeti, ut, qui aliquem harum literarum gustum habeat, non possit non interpolatoris manum agnoscere (2).

(1) « *Sine dubio tecum legendum ἐὐφήμως.* In talibus *ἀ et εὐ passim confudere librarii, et his nihilo peritior, qui Lexicon Hesych. conflavit.* » Valck. Conf. Ep. Cr. I. A. p. 13 : B. p. 15 : C. p. 96.

(2) « *Cogita, quaeso, quantum fuerit hominum eruditissimorum, qui hos versus legerint, ut genuinos. Hos si quis* fungos *fuisse diceret, illum tu, sat scio, castigares acriter. Ad spuria secernenda de genuinis minus animum hactenus adtenderunt. Tu, qui fraudes detegis, sic, quaeso, loquere, ut publici te reverentem esse pateat, atque eum, qui ne crabrones quidem cupide velis irritari. In* v. 173 *ἀριστεύουσιν emendavit* Barnesius : *et in* v. 176 *a se positum ἐπὶ δὴ π. explanat ἐπιπείσονται δή. Sed a Casaubono reprehendendo potuerat abstinuisse. Si sententiam simpliciter de his versibus satis inficetis dixeris; habebis aliquando sententiae tuae*

V. 197.

Τῆσι μὲν οὔτ' αἰσχρὴ μεταμέλπεται, οὔτε λάχεια.

Lege :

Τῆσι μὲν οὔτ αἰσχρὴ μεταμέλπεται, οὔτ' ἐλάχεια (1)

Idem mendum felicissime ex Odyss. I. v. 116 sustulit Kusterus ad Suid. v Λάχεια. Nos eandem vocem etiam Odyss. K. v. 509. restituendam putamus.

V. 305. 306.

Καὶ πότε δεξαμένη χρυσοθρόνου ἔτρεφεν Ἥρης,
Δεινόν τ' ἀργαλέον τε Τυφάονα, πῆμα βροτοῖσιν (2).

Facessant hinc hi duo versus; quorum alterum studiosus lector ex v. 352 hujus hymni margini adscripserat.

V. 353. 354. 355. 356.

Αὐτίκα τόνδε λαβοῦσα βοῶπις πότνια Ἥρη,
Δῶκεν ἔπειτα φέρουσα κακῷ κακόν. ἣ δ' ὑπέδεκτο,
Ὃς κακῷ πολλ' ἔρδεσκε κατὰ κλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων.
Ὃς τῇ γ' ἀντιάσειε, φέρεσκέ μιν αἴσιμον ἦμαρ (3).

Delendi sunt versus 353. 354. 356., solus retinendus v. 355. Haec de Typhaone fabula a pluribus poëtis tractata est; ut adeo non mirum sit, si inde

suffragatores plurimos. Me quidem paulo calidius dicta non offendunt, quae veritatis vis hominibus ingenuis exprimit. » Valck.

(1) « Οὔτ' ἐλάχεια *praecepit Barnesius, loco ex Odysseâ* I. v. 116. *non dimisso.* » Valck. In Ep. Cr. I. A. nihil est, quod ad hanc correctionem pertineat : sed B. p. 14, et C. p. 98. illam exhibent.

(2) « *Spurios esse monitus non dubito.* » Valck. Conf. Ep. Cr. I. A. p. 14. B. p. 18. C. p. 101.

(3) « *Si de his versibus dubitare instituerem, tu me ad corvos scilicet mittereres, nec intimortis.* » Valck. Ep. Cr. I. A. p. 16. B. p. 20. C. p. 104.

versus petiti, primum ad marginem hujus hymni scripti fuerint, ac deinde, ut fit, in ipsum contextum irrepserint. Haec in ipsâ Epistolâ latius probabo. Tibi, Valckenaeri, qui soli Hemsterhusio in his literis cedis, quid probatione opus est?

V. 408.

Ὡς ἔπλεον, κραιπνὸς δὲ νότος κατόπισθεν ἔγειρε
Νῆα θοὴν.

Repone:

Ὡς ἔπλεον, κραιπνὸς δὲ νότος κατόπισθεν ἔπειγε
Νῆα θοὴν (1).

Paulo aliter Orpheus Argonaut. v. 360. Similem maculam abstersimus Apollonio Rhodio L. III. v. 751

Πολλὰ γὰρ Αἰσονίδαο πόθῳ μελεδήματ' ἔγειρεν
Δειδυῖαν κ. λ.

Emendo:

Πολλὰ γὰρ Αἰσονίδαο πόθῳ μελεδήματ' ἔτειρεν
Δειδυῖαν κ. λ.

Hesiodi Fragm. p. 346. edit. Cleric.

Δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης.

Non cepit hunc Apollonii locum Scholiast., multo minus hominum, qui sunt, fuerunt, et erunt, futilissimus, Jerem. Hoeltzlinus. Sed de hoc loco plura in Epistolâ ad Apollon. Rhodium (2).

Pergimus ad *Hymnum in Mercurium*, quem ego omnium minime Homero dignum judico, secus ac

(1) « *Verissimum* ἔπειγε Νῆα θοήν. *In* Apollonio ἔτειρεν *pervenustum.* » Valck. Cf. Ep. Cr. I. A. p. 16: B. p. 23: C. p. 107.

(2) In illâ tamen Epistolâ Crit. II, ad Ernestum Ruhnkenius hunc locum silentio praeteriit.

visum fuit politissimo Berglero in Praef. Odyss. p. 17.

V. 25.

Ἑρμῆς τοι πρώτιστα χέλυν τεκτήνατ' ἀοιδόν (1).

Hic versus conflatus est e Scholio marginali.

V. III.

Ἑρμῆς τοι πρώτιστα πυρήϊα πῦρ τ' ἀνέδωκε (2).

Et hunc versum antea Scholii marginalis vicem praestitisse, luce clarius est. Sed quid tibi, sagacissime Valckenaeri, videtur de V. 125 et 126 (3)? Me quidem multum torsêre; necdum, ut ait ille, hilum profeci.

V. 160.

Ἔρρε πάλιν· μεγάλην σε πατὴρ ἐφύτευσε μέριμναν.

Legendum :

Ἔρρε τάλαν! μεγάλην κ. λ. (4).

V. 163.

Μῆτερ ἐμή, τί με ταῦτα τιτύσκεαι, ἠΰτε τέκνον Νήπιον.

Omnino corrigendum :

Μῆτερ ἐμή, τί με ταῦτα πινύσκεις, ἠΰτε τέκνον Νήπιον.

Vid. Callim. H. in Dian. V. 152, ibique Ill. Spanhem.

(1) « *Versus* 25 *et* 111 *non equidem hymni conditori indignos arbitror.* » Valck. Cf. Ep. Cr. I. A. p. 18 : B. p. 28 : C. p. 113.

(2) De hoc versu vid. Ep. Crit. I. l. c.

(3) « *Felicior hora veritatem nobis deteget.* » Valck.

(4) « *Ἔρρε τάλαν dubio vacat.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. A. p. 22 : B. p. 137 : C. p. 121.

Mallem sane πινύσκεαι, si exemplum ad manus esset. Sed tu ex eruditionis tuae copiis suppeditabis (1).

V. 239.

Ὡς Ἑρμῆς ἐκάεργον ἰδὼν ἀλέεινεν ἑαυτόν.

Versus longe ineptissimus, et ne Graecus quidem, quem nemo, nisi qui plane obesae naris sit, hoc loco ferendum putabit (2).

V. 242.

. . . . εἰνέτεόν τε χέλυν ὑπὸ μασχάλῃ εἶχε

Malim :

. . . . νηγάτεόν τε χέλυν ὑπὸ μασχάλῃ εἶχε (3).

V. 279.

Ὀφρύσι ῥιπτάζεσκεν, ὁρώμενος ἔνθα καὶ ἔνθα.

Conjeci :

Ὀφρύσι νυστάζεσκεν, ὁρώμενος ἔνθα καὶ ἔνθα (4).

(1) « *Quamvis activa tantum forma fuerit nobis in paucis locis observata; nihil tamen vetat hic posuisse πινύσκεαι. Lectori poteris optionem relinquere. Hoc ego hic praetulerim.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. A. p. 23 : B. p. 37 : C. p. 121.

(2) *Nemo Criticus tuebitur hunc versum.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. A. p. 24 : B. p. 40 : C. p. 124.

(3) De hoc versu nihil in Ep. Cr. I. dicitur. At *Valckenaerius* haec ad h. l. annotavit : « *Bern. Martinus* L. I. Var. Lect. *cap.* 22. *corrigebat*, Ὡς ῥα ν. — — Ἐγρήσσων, ἐρατήν τε χέλυν ὑ. μ. ε. *Barnesius suam conjecturam in contextum recepit*, Ἐγρήσσειν ἔτι τὴν δὲ χέλυν ὑ. μ. ε. *Tuum νηγάτεον elegantissimum est.* Bernardi Martini Varias Lectiones, *exiguum libellum, tibi velim commendatissimum. Poteris illum ab Hemsterhusio utendum accipere. Nihil fateberis legisse te venustius et elegantius. Jurisconsultus, antequam forum ingrederetur, ipsam coronam Musis dedicavit. Is unus omnium hymnos Homeridarum felicissime multis in locis persanavit.* »

(4) « *Conjeceram, ornatissime virorum, Ruhnkeni, corrigendum,* Ὀφρύσ' ἐνιπτάζεσκεν — superciliis minitabatur indignabundus. *Vi-*

Infra V. 387. Ὡς φάτ' ἐπιλλίζων Κυλλήνιος Ἀργειφόντης. Νυστάζειν pro νευστάζειν recte dici, jam alii ante nos docuerunt.

V. 325.

Εὐμυλίη δ' ἔχ' Ὄλυμπον ἀγάννιφον. . . .

An

Ἡσυχίη δ' ἔχ' Ὄλυμπον ἀγάννιφον. . . .

Recedit, fateor, nimium a pristinae lectionis vestigiis. At sensum reddit commodissimum. Tu, quâ es sagacitate, melius quid substitues (1).

V. 568.

Πᾶσι δ' ἐπὶ προβάτοισιν, ἀνάσσειν κύδιμον Ἑρμῆν.

At modo praecesserat καὶ μήλοισιν. Ergo magistellus, qui hunc locum interpolavit, putidum versum secum habeat, servetque sepulchro (2).

den' quam apte illud indignabundo puero conveniat? Ἐνίπτειν et Ἐνίσσειν (*quarum formarum haec Aeolica, ut* ὄσσω, πίσσω, βλάσσω) *sunt notissima.* Ἐνιπτάζων *praebebit Hesychius. Male H. Stephanus ad* Ἔπω *retulit, quae fuerant ad* ἵπτω *referenda: veteres etiam* ἴσσω *dixisse manifestum est ex voculâ* ἶξ, *quae formâ tantum distat ab* ἴψ. *Memini haec attigisse me ad Ammonium.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. A. p. 24: B. p, 40. C. p. 124.

(1) « *Quid? si reponeremus* Εὐλυρίη δ' ἔχ' Ὄλυμπον ἀγάννιφον· *Quid possit ad eam lectionem ornandam deprimi, non ignoras.* » Valck. In Ep. Cr. edit. A. altum est de h. l. silentium. In B. p. 42 et C. p. 126 legitur hic versus, at de propositâ conjecturâ ibi non agitur.

(2) « *Plerique tuebuntur hunc versiculum. Saepe* μήλων, *interdum* προβάτων *generalis fuit quadrupedum appellatio, quod Aristoph. Gramm. ap. Eustath. ad Il. p.* 828 *multis affirmavit. Praeter caetera versum ibi reperies,* Μῆλα, βόας κεραοὺς, καὶ ὄϊς, καὶ πίονας αἶγας. Valck. In Ep. Cr. I. frustra hunc locum quaeras.

Hymnus in Venerem.

V. 63.

Ἀμβροσίῳ, ἑαυτῷ, τὸ ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν.

Totus hic locus prope ad verbum sumtus est ex Odyss. θ. ν. 362. seqq., ut notavit Steph. Berglerus praef. Odyss. pag. 18. Sed ibi abest hic versus. Optime. Nam, quia consimilis erat versui praecedenti, ex alio poëta margini adscriptus est, et deinde in textum migravit (1).

V. 98.

Ἦ Νυμφῶν αἱ καλὸν ὄρος τόδε ναιετάουσι

Videtur hic versus compositus e V. 259 et 286 hujus hymni. Certe hinc ejiciendum puto. Sed ne de hac emendatione dubites, indicabo fontem, unde Noster hauserit. Is est Hesiodus Fragm. p. 344 edit. Cleric.

. . . . αἴτ' ἄλσεα καλὰ νέμονται,
Καὶ πηγὰς ποταμῶν καὶ πείσεα ποιήεντα.

Hic etiam patet, apud nostrum pro βήσσεα ποιήεντα rescribendum πείσεα ποιήεντα (2).

V. 116.

Ὡς δή τοι γλῶσσάν τε καὶ ὑμετέρην εὖ οἶδα.

Nihil vidi hoc versu magis inficetum; quem si de sede suâ depulero, ecquis indignabitur (3)?

(1) Vid. In Ep. Cr. I. A. p. 25. B. p. 52, et C. p. 136.

(2) *Nihil tuâ sententiâ verius.* » Valck. Ep. Cr. I. A. p. 26. B. p. 53. C. p. 138.

(3) « *Hunc etiam versum tecum ejiciendum judico.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. A. p. 26. B. p. 54. C. p. 138.

V. 136. 137.

Οὔ σφιν ἀεικελίη Διὸς ἔσσομαι, ἀλλ' εἰκυῖα
Εἴ τι ἀεικελίη γυνὴ ἔσσομαι, ἠὲ καὶ οὐκί.

Haud memini loci apud veterem poëtam, qui pejus a librariis acceptus sit. Nam ex unius Glossis, variisque lectionibus duos nobis putidissimos procuderunt. Nobis hîc, si unquam alias, feliciter opera successit. Repone :

Εἴ σφιν ἀεικελίη νυὸς ἔσσομαι, ἠὲ καὶ οὐκὶ.

Οὔ V. 136 est varians lectio voculae Εἴ. Et γυνὴ ac διὸς vocis νυός. Ἀλλ' εἰκυῖα, glossa verborum ἠὲ καὶ οὐκί (1).

V. 253.

. . . . . ἐπεὶ μάλα πολλὸν ἀάσθην,
Σχέτλιον, οὐκ ὀνότατον, ...

Vera lectio est :

. . . . ἐπεὶ μάλα πολλὸν ἀάσθην,
Σχέτλιον, οὐκ ὀνομαστὸν (2).

(1) « *Veram lectionem νυὸς auspicato reduxisti : sed illam ex edd. Florentina, Aldina, Lovaniensi repetitam in suam quoque reduxit Barnesius. Qui nobiscum Franquerae tractat has literas*, Jo. Pierson, *adolescentulus Frisius, eamdem emendationem, unà cum aliis quibusdam tuis, mecum super communicaverat. Vellem minus hic accuratus fuisset Barnesius. Quod censes duos versiculos suavissimos in unum contrahendos, ne mihi quidem, homini minus superstitioso, poteris persuadere. Primum Venus se non futuram ait Anchisae parentibus ἀεικελίην νυὸν. Tum patrantibus oculis adspiciens Anchisen virosa paulo cupidius rogat, Εἴ τι ἀεικελίη γυνὴ ἔσσομαι, ἠὲ καὶ οὐκί ;* Num tibi videbor uxor commoda futura, nec ne ? » Valck. Vid Ep. Cr. I. A. p, 27. B. p. 54. C. p. 139.

(2) « *Ὀνομαστὸν in contextu dedit Barnesius e conjecturâ Bern. Martini Var. Lect. L. II. c. 23, in versu 253 corrigentis στόμα χείσται. Hinc Critici praestantiam aestimabis.* De Suidâ *verissime judicas :* Οὐκ

Apollon. Rhod. L. III. V. 800

Πρὶν τάδε λωβήεντα καὶ οὐκ ὀνομαστὰ τελέσσαι.

Dioscorides Epigramm. apud Suidam v. ὀνομαστός.

. . . . . ἀνδρασι δεῖμα
Θαρσαλέοις. Τάλλα δ' οὐδ' ὀνομαστὸν ἄχος.

Quo loco ego Suidae Glossam ineptam falsamque judico. Tibi quid videatur, scire cupio. Exemplum certe, quod subjicit, minime probat id, quod voluit. Οὐκ ὀνομαστός, inquit, οὐ πολύς. Immo. πολύς. Vid. Hesiod. Fragm. p. 438. Alias Graeci in simili re dicunt οὐ φάτος, οὐ φατειός. Hesiod. Scut. Herc. v. 144.

Ἐν μέσσῳ δὲ δράκοντος ἐὴν φόβος, οὔτε φατειός

et V. 161.

Ἐν δ' ὀφίων κεφαλαὶ δεινῶν ἔσαν οὔτε φατειῶν.

Hoc bis restituendum Orpheo nostro. *Nostrum* voco propterea, quod ipse fatetur, nemini se plus debere, quam mihi, qui ducentis prope monstris eum liberavi.

Argonaut. V. 926.

Δεινὸς ὄφις, θνητοῖς ὀλοὸν τέρας, οὐ φατὸν εἰπεῖν.

Lege (1)

Δεινὸς ὄφις, θνητοῖς ὀλοὸν τέρας, οὔτι φατειόν (2)

(1) ὀνομαστὸν ἄχος est πολὺ vel μέγα, quale dicitur ἀμύθητον, ἄφραστον, ἄρρητον, ἄφατον vel οὐ φατόν. Hesych. Οὐφατῶς, ἀφάτως, l. οὐ φατὸν, ἀφάτως. Callim. H. in Del. 60. Σπερχομένη μέγα δή τι καὶ οὐ φατόν. Docte οὔτε φατειὸν restituis. De secundo loco primum dubitanti consensum extorques. » Valck. In Ep. Cr. I. A. nihil: sed vid. B. p. 59 et C. p. 143.

Εἰπεῖν glossam esse, omni dubio caret. Argonaut. V. 974

Τρισσοκέφαλος ἰδεῖν, ὀλοὸν τέρας, οὔτι δαητὸν.

Et hic scribendum οὔτι φατειόν (1).

V. 292.

. . . ἤιξε πρὸς οὐρανὸν ἠνεμόεντα (2).

Scribe : . . ἤιξε πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα vel αἰγλήεντα·

Millies sic Homerus, aliique. Idem verbum emendandum est apud Orpheum Argonaut. V. 1280

Σαρδώτ' Εὔβοιάν τ' ἐπὶ δὲ Κύπρον ἠνεμόεσσαν,

Scribe : Σαρδώτ' Εὔβοιάν τ', ἐπὶ Κύπρον θ' ἱμερόεσσαν.

Contra apud Callim. H. in Del. V. 21 pro Σαρδώ θ' ἱμερόεσσα corrigendum Σαρδώ τ' ἠνεμόεσσα, quicquid dicat Spanhem.

Hymnus in Venerem IV.

Δειρῇ δ' ἀμφ' ἁπαλῇ καὶ στήθεσιν ἀργυρέοισιν. Pro ἀργυρέοισιν legendum ἀργυφέοισιν. Vid. Apollon. Rhod. L. IV. v. 1406. Sed nolo leviora consectari (3).

Hymnus in Bacchum. V.

V. 45

. . . . . ὁδ' ἄρα σφι λέων γένετ' ἔνδοθι νηὸς
Δεινὸς ἐπ' ἀκροτάτης, μέγα δ' ἔβραχεν . . . .

(1) Vid. Ep. Cr. I. A. p. 69 : B. p. 107 : C. p. 191.

(2) « Οὐρανὸν ἠνεμόεντα coelum altum *cur tandem sollicitas? Propriam vocum significationem prorsus saepe negligunt poëtae. Si oculos excusseris, tutemet illud probabis. Tu quidem, elegantiarum spectator, Cyprum adpellares* ἱμερόεσσαν, *sed quidni Scriptor Argonauticorum dixerit ob excelsa promontoria* ἠνεμόεσσαν, *quam et* Ἀερίαν *vocarunt veteres? De Sardiniâ similiter sentio.* » Valck. In Ep. Cr. I. de hoc loco Ruhnkenius non locutus est.

(3) « Ἀργυρέοισιν. *E Florentinâ caeterisque vetustis edd.* ἀργυφέοισιν

Pro ἔβραχεν omnino legendum censeo ἔβρυχεν. Nam βρύχειν est leonis proprium. Ἔβραχε nusquam de animalis hominisve voce usurpatum reperi, nisi forte apud Apollon. Rhod. L. II. v. 574. Sed, donec quis exemplum magis idoneum afferat, ibi quidem legerim Ἔκραγε. De aquâ etiam, si Diis placet, dicitur ab Apoll. Rhod. L. 1 v. 1147. Sed ibi ἀνέβραχε refingendum esse in ἀνέβρασε, accuratius ostendam in Epistolâ ad summum amicissimumque virum, Tib. Hemsterhusium nostrum. Caeterum de eâdem operâ verbum βρύχειν restituamus quoque Hesiodo Scut. Herc. v. 160. Nam ibi pro βεβριθυῖα lege βεβρυχυῖα. Viderat aliquid acutissimus Guietus: sed depravata Hesychii Glossa hominem in foedum errorem induxit (1).

Hymnus in Matrem Deorum XII.

Ἡ κροτάλων, τυπάνων τ' ἰαχὴ, συν τε τρόμος αὐλῶν.

Non dubitandum, quin vere conjecerim βρόμος αὐλῶν (2).

reposuit Barnesius. » Valck. In Ep. Cr. I. A. hunc locum Ruhnkenius non attigit: sed vid. B. p. 59 et C. p. 144.

(1) Ἔβρυχεν *dubio vacat. In Apollonio nec* ἔβραχεν *audim; nec* ἀνέβραχε *sollicitare.* Βραχεῖν *apud Homerum quidem eximie de sonitu ponitur ex armis projectis orto; sed apud recentiores de sonitu etiam e terrâ vel aliunde violentius prorumpente. Si potueris* ἀνέβρασεν *adprobare τῷ πάνυ, non amplius obnitor.* » Valck. In Ep. Cr. I. nihil invenitur, quod huc pertineat.

(2) « *Quod Scaligero non fuerat suspectum ad Catull. p.* 67, *ad mentem tuam correxit Barnesius, in cujus editione reperies e conjecturâ recte vulgatum — βρόμος αὐλῶν. In Argonauticis optime, meâ sententiâ, corrigis* πυριδρόμου ἠελίοιο *et* βρομέουσα θύελλα. » Valck. In Ep. Cr. I. A. non fit mentio hujus loci: sed vid. B. p. 61 et C. p. 146. Emendatio loci ex Argonaut. V. 1180 commemoratur A. p. 33. B. p. 64: C. p. 119.

Hymn. in Merc. v. 451.

Καὶ μολπὴ τεθαλυῖα, καὶ ἱμερόεις βρόμος αὐλῶν.

Hoc verbum semel demendum, semel reddendum Onomacrito. (Hunc enim et Argonautica, et Hymnos, et librum de Lapidibus, et pleraque, quae supersunt, fragmenta scripsisse, tam liquide alias probabo, ut nihil contradici posse videatur.)

Argonaut. v. 1120.

Αἴγλης ἄμμοροί εἰσι πυριβρόμου ἠελίοιο.

Corrige

Αἴγλης ἄμμοροί εἰσι πυρίδρόμου ἠελίοιο

Suffimine Solis VII. v. II.

Κοσμοκράτωρ, συρικτὰ, πυρίδρομε, κυκλοέλικτε.

Idem Argonaut. v. 1180.

Ἴκτο καταίγδην δνοφερὴ τρομέουσα θύελλα.

Lege : . . . . . βρομέουσα θύελλα.

Multa in Adversariis congessi ad hanc conjecturam firmandam. Sed ea apud te expromere, hominis esset sane quam vani.

Hymnus in Pana. XVII.

Hunc Hymnum, longe ante alios venustissimum, et lectum esse ab Ovidio, et non uno loco expressum, in ipsâ Epistolâ docebo. Nam et me taedet scribendi, et te legendi. Itaque graviores tantum ejus maculas deleamus.

V. 3.

. . . ἄμυδις φοιτᾷ χοροιόθεσι νύμφαις.

Malim . . ἄμυδις φοιτᾷ χορογήθεσι νύμφαις (1).

(1) Χορογήθεσι *verum sine controversiâ.* » Valck. In Ep. Cr. I. hic locus non tractatus est.

Sed non capio, qui Pan. v. 5. ἀγλαέθειρος dicatur, cum in Anthologiâ et alibi φριξοκόμης audiat. Tu, Valckenaeri, qui tot perplexa solvis quotidie, et hunc nodum, fortasse solutu facilem, solves (1).

V. 12.

Πολλάκι δ' αἰγινόεντα διέδραμεν οὔρεα μακρά.

Duplici conjecturâ locum tentavi. Vel legendum.

Πολλάκι δὲ σκιόεντα διέδραμεν οὔρεα μακρά

Saepe ita in his ipsis hymnis Homericis. Vid in Apoll. v. 34., in Mercur. v. 70. 95., et XXVII. 4; Vel emendandum;

Πολλάκι δ' αὖ νιφόεντα διέδραμεν οὔρεα μακρά.

V. 6 dixerat, . . . ὅς πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχε.

Trillerus forte aliquis duplici conjecturae tertiam superadderet, legendo ἀργινόεντα (2). Sed satis nugarum. Antequam tamen ab hoc loco discedam, arbitrum te capio suspicionis in Apoll. Rhod. L. VI. v. 1715.

Ἄλσει ἐνὶ σκιερῷ τέμενος σκιόεντά τε βωμὸν
Ποίεον.

Puto Apollonium dedisse :

Ἄλσει ἐνί σκιερῷ τέμενος θυόεντατε βωμὸν
Ποίεον (3).

(1) *In ἀγλαέθειρος poëtam puto respexisse ad radios solares, quos cornibus Panis adumbratos veteres finxêre Theologi.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. B. p. 62 et C. 147. A. nihil nobis offert.

(2) « *Quod ultimum posuisti, ἀργινόεντα genuinum arbitror. Recepit illud in textum Barnesius, excitans ex Il. B. v. 647 et 656. Bern. Martinus αἰγιλόεντα corrigendum censuerat* aegilo consita, *L. IV. Var. Lect. c. 18.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. A. p. 30. B. p. 62. C. p. 147.

(3) « *Tua correctio in Apollonio legentis θυόεντα est venusta.* » Valck.

Conf. Anthol. L. 1. pag. 111. edit. Wechel. Praecedens verbum σκιερῷ facilem fecit librarii lapsum in σκιόεντα. Millies hoc modo a descriptoribus chartarum veterum peccatum. Nunc unum tantum Hesychii locum afferam, idque ideo, quod hunc unicum esse arbitror inter Hesychianos, cui divinus vir, Rich. Bentlejus, in Epist. ad Mill. p. 38. minus dextre medicinam fecit. χωρονομεῖ, ὀργίζεται. Lege χωρονομεῖ *agrum dispensat*, ὁρίζεται, et intelige ex Canone suavissimi doctissimique Alberti, χῶρον. Unde vero illud librariorum ὀργίζεται? Nempe praecesserat, χωόμενος, ἐργιζόμενος. et mox sequitur ὀρνάσασθαι, ὀργασθῆναι. Sed redeamus in viam (1).

V. 14

. . . . . τότε δ' ἕσπερος ἔκλαγεν, οἶον,
Ἄκρης ἐξανίων δονάκων, ὑπὸ μοῦσαν ἀθύρων.
Νηδύμον.

Locus mire depravatus. Tentabam :

. . . . . τοτε δ' ἕσπερος ἔκλαγεν οἶμον,

Vertens : *Tum vespertino tempore cantabat.* Sed remanet difficultas in seqq : Ἄκρης ἐξανίων δονάκων. At reliqua, ὑπὸ μοῦσαν ἀθύρων Νηδύμον, pulchre habent. Nam sic etiam Apollon. Rhod. L. III. v. 948 (2).

V. 36.

Ἑρμείη φίλον υἱὸν, ἀφαὰρ τεραπωπὰν ἰδέσθαι.

(1) « *Hesychium commode sanasti.* » Valck.

(2) « *Audi Bern. Martinum ita corrigentem, Var. Lect. L. IV. c. 18. τότε δ' ἐς σπέος ἔξωγεν οἶας. Barnesius in textum recepit, nisi quod ἤγαγεν posuerit.* » Valck. Cf. Ep. Cr. I. l. c.

Elegantius scribatur ἀτὰρ (1).

Nondum a Pane discedimus. Nam unum alterumve indigitamentum et apud alios poëtas ei restituendum est.

Orpheus Suffim. Panis, X. v. I.

Πᾶνα καλῶ κρατερὸν κόσμοιο τὸ σύμπαν.

Franciscus Portus suplebat :

Πᾶνα καλῶ κρατερὸν, σκῆνος κόσμοιο τὸ σύμπαν.

Nos simplicius, et magis ex more Orphei :

Πᾶνα καλῶ κρατερόν τε θεὸν, κόσμοιο τὸ σύμπαν.

V. 3.

Καὶ πῦρ ἀθάνατον . . . . . .

Lege, ἀκάματον. Millies hoc et Orpheus et reliqui poëtae utuntur, altero numquam.

V. 5.

Αἰγομελὲς, βακχεντὰ, φιλένθεε, ἀστροδίαιτε.

Lege : Αἰγόμελὲς, ... ἀντροδίαιτε (2).

V. 12. dicitur ἀντροχαρής. Antholog. L. II. p. 224. edit. Wechel.

Πανὶ φιλοσπήλυγγι καὶ οὐρεοφοιτάσι νύμφαις.

Alia loca, quae in promtu sunt, praetereo.

Pergimus ad locum elegantissimum in Anthol. L. VI. p. 574.

Τοῦτο χιμαιροβάτᾳ Τελέσων αἰγώνυχι Πανὶ.

Malim : χιμαιροβότᾳ. A Theocrito in Epigramm.

(1) « *Praeplacet vulgato tuum ἀτὰρ, nec tamen alterum temere rejecerim.* » Valck. In Ep. Cr. I. A. desideratur hic locus, at in B. p. 76 et C. p. 160 legitur.

(2) « *Tres tuas in Orphei hymno correctiones ut veras lubentissimus recipiam.* Ἀντροδίαιτε *Piersonus noster etiam viderat.* » Valck.

p. 20 edit. Wechel. vocatur αἰγοβότης. Idem error est in Anthol. L. IV. p. 476.

Τίνητε κατ' οἰόβατον Πὰν ἀγρότα δάσκιον ὕλαν.

Emenda : οἰόβοτον (1).

Hymnus in matrem Deorum. XXVIII.

Παρθενικαί τε, χοροῖς περεσανθέσιν εὔφρονι θυμῷ
Παίζουσαι, χαίρουσι κατ' ἄνθεα μαλθακὰ ποίης,
Οὕς κε σὺ τιμήσεις, σεμνὴ θεά, ἄφθονε δαῖμον.

Forte : Παρθενικαί τε χοροῖσι φεραανθέσιν κ. λ.

V. 16. omnino rejiciendus est, quem vel ex variis lectionibus V. 7. conflatum puto, vel ob similitudinem ex alio poëta margini adscriptum (2).

Hymnus in Solem. XXIX.

Θεσπέσιος πέμπῃσι δι' οὐρανοῦ ὠκεανόνδε.

Scribendum : Ἑσπέριος. Vid. Apoll. Rhod. L. III. V. 1190 (3).

Habes Specimen mearum in Hymnos Homericos

(1) « *In Epigrammate cur, obsecro, damnas* χιμαιροβάτας? *Panis contubernales turpissimo sensu dicuntur* αἰγοβάται *in epigramm., quod si a me ad Ammonium pag.* 41 *editum criminaris, ablegabo te ad Albertum nostrum ad Hesych.* in Θυσάνουρος. *Et hunc et illum latuit mendo versus secundi. Heringa noster, Medicus Leovard., inter primos Criticos olim a te numerandus, feliciter restituit* δαῦλος Ἀπολλόδοτος. *Idem illud mocum reponere non dubitabis in primo epigr. Theocriti :* Βωμὸν δ' αἱμάξει κερμὸς τράγος οὗτος ὁ δαῦλος. *Epigr.* IV. 17 λάστιον τράγον *vocat, et in Edd.* VII. 15. δασύτριχα. » Valck.

(2) « *Non ausim V.* 16. *rejicere. Eadem sententia diversis verbis expressa me non adeo in hymnis offendit istiusmodi.* Οὕς *sequitur genus puerorum, quorum V.* 15. *meminit. Corruptae lectioni* περισάνθεσιν *aliud quidquam substituas.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. B. p. 78 et C. p. 162.

(3) « *Elegantissime* Ἑωΐριος *corrigit.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. l. c.

Castigationum, virorum optime; quibus libenter quaedam Hesiodea adjecissem, nisi mihi religioni ducerem, otio tuo tam impudenter abuti. Adjungam tamen paucula ex nostris Theocriteis, quia et iis in Epistolâ ad te sribendâ locus dabitur.

Idyll. V. .v 90.

Κὴμὲ γὰρ ὁ Κρατίδας τὸν ποιμένα λεῖος ὑπαντῶν
Ἐκμαίνει.

Quanto elegantius scribetur:

Κὴμὲ γὰρ ὁ Κρατίδας τὸν ποιμένα λεῖος ὑπάναν
Ἐκμαίνει.

Is, qui h. l. λεῖος ὑπήνην, alias simili compositione, nec minus eleganter, dicitur λειογένειος. Quo genere puerorum summe delectatus est homo ingeniose nequam, Strato, ex cujus Anthol. ineditâ plura ad hanc conjecturam stabiliendam afferre possem, nisi ejus veritas per se pateret. Cf. vocem λειοπωγωνία ap. Etym. M. et Idyll. XX. V. 8. (1).

Idyll. XI. V. 32.

Ἐξ ὠτὸς τέταται ποτὶ θᾶτερον ὥς μία μακρά.

Magis Theocriteum fuerit.

Ἐξ ὠτὸς τέταται ποτὶ θᾶτερον, ὡς μυία μακρά. (2).

(1) « *Equidem arbitror sic scripsisse Theocritum, ut suspicaris* — λεῖος ὑπάναν. *Illud tamen poterat mirum videri, de primâ barbâ puerili loquentes Theocritum, Callimachum, etc., nusquam* ὑπήνην *nominasse. Vide Theocr.* VI. 3, XI. 9, XV. 85, 130: *Callim. Jov.* V. 56.; Del. 298, *Apoll.* 37, *Lav. Pall.* 75: *Aesch. Theb.* 540, 672: *Eurip. Phoen.* 32 *etc. Hanc diligentiam juvenis fuisse dices otiosi; Criticis nonnunquam utilem.* » Valck. Vid. Ep. Cr. I. A. p. 35. B. p. 65. C. p. 150.

(2) « *Pace tuâ non sollicitaverim vulgatam. Pili quidem molles* τοῦ λείου ὑπήνην *et* μυία σιγαλόεντα (*Numenio memorata ap. Athen.*) *VII.*

Cyclops e re obviâ simile petiit. Namque (V. 13)

. . . . . τὰν Γαλάτειαν ἀείδων,
Αὐτῷ ἐπ' αἰόνος κατετάκετο φυκιοέσσας.

Idyll. XV. V. 125

Πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω, μαλακώτεροι ὕπνῳ

Verte : *Et purpurea tapeta in superiore parte*, molliora musco arboreo.

Hoc demum Theocrito dignum. Scio grave momentum objici posse. Sed apud me hac parte parum valet auctoritas Virgilii et Epigrammatarii Graeci. Quis excellentior doctiorque, Valerio Flacco? Sed et hunc eodem modo in Graecis poëtis vertendis lapsum esse, alibi demonstrabo. Mea de Theocriti loco sententia egregie firmatur ex Odyss. T. 233, 234 (1).

Idyll. XVIII. V. 31.

Ὧδε καὶ ἁ ῥοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.

Hic versus non unâ de causâ videtur ὑποβολιμαῖος (2).

Idyll. XXIII. V. 161.

Αἷμα δ' ἐφοινίχθη· παιδὸς δ' ἐπεναίχετο φωνά·

Lege, ἐπενέγκατο φωνά. Hesych. V. Ἀνενέγκατε; atque Suid. T. 1. p. 206. — Atque haec hactenus (3).

p. 295. B.) poterant comparari : sed unica densa Cyclopia ἐφεῦς et μνίον non item. Vulgatam praeterea tuetur Eustath. ad Od. A. p. 22 n. 5. » Valck.

(1) « Libens videbo, quibus argumentis sententiam tueberis adversus Virgilium et Antiphanem. Ad Theocriti locum, in Schol. ad Ran. Aristoph. V. 149 citatum, habes in numerato Casaubono, Heinsio, Berglero notata. » Valck.

(2) « Non valide tuebor, si rejeceris. » Valck.

(3) « Ἐπενέγκατο perplacet. » Valck.

Legisti jam, puto, Praestantissime Valckenaeri, quid stupidissimus nebulo, Jo. Jac. Reiske, in Act. Lips. de nuperis opusculis tuis judicaverit. Multa iste et inepte dixit, et petulanter (1). Sed profecto irâ tuâ indignus est. Diu hominem sumtibus suis sustentavit d'Orvillius, modo cum eo simultatem exercens, modo in gratiam rediens. Nunc eumdem dicitur mercede conduxisse, ut te aliosque praeclaros Belgas, quos ipse d'Orvillius clandestino odio prosequitur, in Actis Lipsiensibus perstringat, et, si fieri possit, in contemtum adducat. Cui narrationi etsi parum fidei tribui; tamen nova suspicio oritur ex recensione Anthologiae Burmannianae, ubi quantum in Burmannum invehitur, tantum d'Orvillio adulatur (2). Quod sane iste pro suâ omnes lacessendi libidine vix faceret, nisi os impudens auro esset obturatum. Multa idem tentavit in Colutho doctiss. Lennepii, quibus, ita vivam, nihil unquam vidi ineptius, ac putidum magis (3).

Sed, quod prope scribenti exciderat, si quid a nugarum parente, Barnesio, in hymnis Homericis aliter tentatum, vel ab acutissimo Clarkio, aliisque occupatum est, de eo nos, mi Valckenaeri certiores facies. Nam neutra editio ad manum fuit; et ipse praeterea plane hospes sum in recentiorum Commentariis. Nollem tamen aliquis ex minorum gentium magistris queri posset, me sibi aliquid sublegisse: a quo scelere, si quis alius, vehementer abhorreo.

(1) Act. Lips. A. 1748 a pag. 301 ad p. 315.
(2) Act. Lips. p. 123 et seqq.
(3) Act. Lips. p. 398-410.

E Germaniâ pauca nova afferuntur. Dio Cassius Celeb. Reimari Hamburgi splendidissimae chartae imprimitur, operaeque jam pervenerunt ad pag. 244. Sed nuper nobis ex eâdem regione submissus est Suetonius, cum Animadversionibus Joan. Aug. Ernesti, viri elegantissimi, et tuo quoque, si hominem cognoveris, judicio inter principes aetatis nostrae Literatores referendi. Jam diu, mihi crede, nihil in Latinum auctorem scriptum est, quod cum Ernestinis notis comparari possit. Idem cum maxime in eo est, ut novam Callimachi editionem adornet; cujus nuper Specimen, omnibus doctrinae et ingenii luminibus frequentatum vidi.

Sed desinam tandem, si prius a te petiero, ut, quam primum per alia negotia liceat, his literis nostris eo, quo dixi, modo respondeas. Constitui enim ante finem mensis Decembris ipsam Epistolam Criticam prelo subjicere. Ita vale, inclyte Valckenaeri, nosque, si mereamur, tuorum numero habe.

Clariss. Schraderum, nisi grave est, meo nomine salutabis. Dab. Harlemi, ex aedibus illustrissimae matronae *De Raet* d. 24 Nov. 1748.

VIRO EXCELLENTISSIMO,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quid tu me tandem hominis putabis, mi optime Valckenaeri, qui fidem de Epist. Criticâ ad te scribendâ dudum datam nondum liberaverim? Sed scias, conatibus meis cum alia moram injecisse, tum vel maxime Bernardum illum Martinum, qui plurima a me animadversa occuparat. Itaque rursus acri studio Homeridarum Hymni excutiendi fuerunt, et ad examen revocandi, quo id, quod mihi perierat, restitueretur. Nunc vero materia ita excrevit, ut non tam Epistola, quam prope liber exiturus sit. Nuper operae Leidenses excudendi initium fecere, ut adeo ipsam Epistolam circa finem mensis Maji ad te perventuram putem. Conjecturas meas per literas cum Illustri Hemsterhusio communicavi, qui earum plerasque destinatum feriisse praedicabat, pauculas dubitationis aliquid habere; quas tamen et ipsas ut ederem, auctor erat, quod semper ab acumine cogitandi sagacissimo commendarentur. Satis benigne ille quidem, modo satis vere. Interdum digredimur in Anthologiam cum editam, tum ineditam. Sed ex inediti duo nobis Epigrammata sunt proferenda, de quibus antea ad te, vir acutissime,

referre visum est, ne quid depravatum luxatumque, Jensiano more, protruderemus.

Stratonis (1).

Εὐκαίρως ποτε παιδοτρίβης λεῖον προδιδάσκων
Εἰς τὸ γόνυ κάμψας, μέσσον ἐπαιδοτρίβει,
Τῇ χερὶ τοὺς κόκκους ἐπαφώμενος. ἀλλὰ τυχαίως
Τοῦ παιδὸς χρήζων ἦλθεν ὁ δεσπόσυνος.
Ὅς δὲ τάχος τοῖς ποσσὶν ὑποζώσας ἀνέκλινεν
Ὕπτιον, ἐμπλέξας τῇ χερὶ τὸν φάρυγα.
Ἀλλ' οὐκ ὢν ἀπάλαιστος ὁ δεσπόσυνος προσέειπεν
Παῦσαι πυγίζειν, φησὶ, τὸ παιδάριον.

V. 5. legendum, ὡς δὲ τάχος. an mox pro ὑποζώσας scrib. ὑποστρώσας? Sed nihil affirmo. In fine προσέειπεν et φησί simul stare nequit. Sed tu, mi Valckenaeri, pro admirabili solertiâ tuâ facile haec expedies, inprimis si consulueris Lucianum Tom. II. p. 884. ed. nup. et Petri Fabri Agonisticon, quod non est ad manum. Alterum Epigramma est Μάρκου Ἀργενταρίου εἰς ἑταίραν Ἀντιγόνην, ipsa Venere venustius.

Στέρνα περὶ στέρνοις, μαστῷ δ' ἐπὶ μαστὸν ἐρείσας,
Χείλεα δὲ γλυκεροῖς χείλεσι συμπιέσας
Ἀντιγόνης, καὶ χρῶτα βαλὼν πρὸς χρῶτα, τὰ λοιπὰ
Σιγῶ. μάρτυς ἐφ' οἷς λύχνος ἐπεγράφετο (2).

Hic nullo pacto concoquere possum istud ἐπεγράφετο, neque usquam id legisse memini, ubi de lychno nequitiarum teste agitur. Erunt fortasse quidam σκυθρωποὶ, qui haec et plura alia lasciviora Epigrammata a me vulgari nollent. Sed horum judicium

(1) Ep. Cr. I. A. p. 35. B. p. 66. C. p. 151.
(2) Ep. Cr. I. A. p. 44. B. p. 75. C. p. 159.

parum moror, non nescius, quantas mihi gratias habituri sint homines elegantiores. Contigit vero ita, nescio quomodo, ut, quo quodque Epigramma est petulantius, eo sit venustius. In fine Epistolae excurram ad Glossographos (1). Ibidem Grammaticorum canonem convellam, quo statuunt, Λα et Λι in compositione augere. De Δα et Ζα facile concedo. Quicquid magnus Reinesius Epist. ad Rupert. et Hoffm. p. 454. ex Hesychio, quicquid alii ex Etymologo et aliunde ad hanc sententiam stabiliendam attulerunt, solide, ni fallor, profligavi. Nam omnia verba in mendo cubant, aut Grammaticorum ingenio debentur. Unum alterumve exemplum apponere juvat. Etym. M. ΛΑΔΡΕΌΝΤΙ. παρὰ τὸ Λὰ καὶ ῥέω, λαρέοντι, μεγάλως ῥέοντι. Nihil vidi magis (2). Ex ΆΛΛΑΔΕ ΡΕΌΝΤΙ foedissimo errore finxit verbum Λαδρέοντι. Hesychius: Λιαμάθω, αἰγιαλῷ, λίαν ἀμαθίοδει. Lege, Ἁλιαμάθῳ quod supra vide. Sed audi Etymol. M. Λιάμαθοι, εἴ αἰπόλοι· ἀπὸ τοῦ εἶναι λίαν ἀμαθεῖς. Haec vel Heracliteae severitatis homini risum extorquerent. Sed sic solet ille, ut pecudem citius, quam hominem, putes. Una tamen vox obstat sententiae nostrae apud Hesych. Λιπόνηρος, λίαν πονηρός. Eam confictam arbitror a Grammatico, nunquam usurpatam Graecis; etsi nondum expiscari potui, e quâ probâ voce sit depravata. Illud monstrum tantum, quod mireris, valuit apud hominem longe amicissimum,

(1) Ep. Cr. I. A. p. 52. B. p. 86. C. p. 170.

(2) Fortasse Ruhnkenius scribere voluit, *magis absurdum*, vel *magis ineptum*. Nam aliquod omissum esse vocabulum, quo Etym. *M.* error indicetur, manifestum est.

Joan. Alberti, ut propter illud solum meam de λι ἐπιτατικῷ sententiam minus veram putaret. Sed ego ipsi nunquam assentiar, et tanto majores tibi gratias acturus sum, si monstrosum istud vocabulum exstinxeris. Vide praeterea, an has Hesychii Glossas recte emendarim: λίηφος, δεινός. Idem supra: λαιφαὶ, ἀναιδεῖς, θρασεῖς, στυγναὶ, τολμηραί. Qui locus nos quasi manu ad veram lectionem ducit. Nam utroque loco legendum, λαιδρὸς, et λαιδραί. Supra: λαιδρὴ, θρασεῖα et, λαιδρὸς, λαμυρὸς, ἀναιδὴς, λεῖνος (l. δεινὸς) θρασὺς, ταχὺς. Vid. Schol. Nicandri ad Theriac. v. 689. et Maxim. Philosoph. περὶ καταρχῶν v. 377. et 438. ap. Fabric. Bibl. Gr. Vol. X. Apud Hesychium, Suidam Tom. I. p. 67. et p. 645. et Etym. M. est ΑΊΔΥΛΟΣ, θρασὸς. Literarum ductum si sequimur, scribendum sane ΛΑΙΔΡΟΊΣ. De λαὶ turpitudinis nota tu ex reconditae eruditionis tuae thesauris nobis aliquid imperties.

Quae ultimis literis tuis non minus erudite, quam candide monuisti, gratissimo animo agnosco. Sed λεῖος ὑπάναν, quod Theocrito restituebam nondum desero. Probant illud unice cum alii, tum Lennepius noster, quem Theocritearum venerum callentissimum puto. Dicitur quoque ὑπήνη (quod negare videbaris) de ἀνήβου barbâ. vid. Antholog. L. V. p. 527. ed. Wech., Aristaenet. p. 77. et p. 272. ed. Pauw., Jul. Pollux. L. II. cap. II. segm. 10, ut alios praeteream.

An tu quemquam nosti, mi Valckenaeri, qui ante nos observarit, Dionysii Periegesin maximam partem e versibus Callimacheis esse conflatam? Vix credas,

quantum mihi Dionysius profuerit in Callimacho emendando et illustrando.

Atque haec fere sunt, de quibus oraculum tuum adeundum putabam. Tu, mi suavissime Valckenaeri, si nor graviora negotia licuerit, propediem tuâ nos responsione beabis. Vale, nosque, si mereamur, ama. Magna spes est, futuram, ut Higtio nostro Rectoris Alcmariensis munus deferatur. Dab. Harlemi d. 24 April. 1749.

DAVIDI RUHNKENIO

LUDOV. CASP. VALCKENAER.

His proximis diebus febri tentatus necdum convalui. Ad humanissimas tamen tuas literas paucis erat hoc die respondendum. Nihil est causae, cur silentium tuum apud me, hominem in scribendo, supra quam dici potest, tardum excusares. Paene suspicabar, mutato consilio vulgaturum te librum Observationum. Epistolas Criticas jam exercere Leidenses operas ex literis tuis intellexi. Desiderarem profecto, praestantissime Ruhnkeni, ut meo alterius cujuspiam nomen substitueres, qui rebus tuis prodesse posset. Praeter voluntatem nihil habebis, quod a me possis expectare. Correctiones tuae, non dubito, quin egregiae sint futurae, tum quod tuae sunt, tum quod eae Hemsterhusio approbare potuisti. Sed si quid apud

te valet, mi Ruhnkeni, hominis non severissimi amicum consilium, auctor tibi sum, ut egregiis illis chartis tuis et doctis nullum inferas epigramma inditum, quod nimis sit petulans ac lascivum. Nos quidem talia etiam propter elegantiam sermonis legimus non illibenter; sed vix credas, quantum displiceant talia plerisque, et quam facile inde arripiant malevoli occasionem criminandi. Eorum epigrammatum, quae posuisti, sane alterum egregium est et editione dignissimum; prius tale, quod ne nos quidem sine rubore legamus, et meo certe arbitratu, prorsus indignum, quod e multis selectum a te ederetur in opere duraturo. Corrupta quo pacto persanari debeant, non succurrit. In altero me non offendit, ἐπεγράφετο. *Qui, positâ lucernâ, Veneri fecerat, venuste dici potuisset solam lucernam testem citare,* ἐπιγράφεσθαι μάρτυρα. *Passiva forma videri tantum posset insolentior paulo, quum mediam passim adhibeat in hac locutione Demosthenes. Particulam* Λα *et* Λαι *nonnullorum significationem intendere, equidem cum caeteris credideram. Si is error est, errorem a te locis Grammaticorum emendatis expugnari lubentissimus patiar. Quod scribit Hesychius in* Λαι, *arbitror ex vocibus* Λαίγυος *et* Λαίσιτος *fluxisse, in quibus* Λαι, *ex* Λα *ortum, tantum putabam intendere significationem, quantum in* Λαίμαργος *et* Λαίσπαις, *ubi* σ *praeterea insertum e dialecto. Correctiones, quas apposuisti, perplacent.* Ἅλαδε ῥέοντι *prorsus est egregium, teque dignum, ut et* Ἁλιαμάθῳ. *De* Λιπόνηρος *tecum sentio. Scriptura compendifacta voculae* Λιαν, *ni fallor, Grammaticum decepit, qui,*

cum scriptum legerit ὁ λιπόνηρος, inde nobis extudit Λιπόνηρος. *In reliquis etiam verissime te conjectasse, et, quod de Dionysii Periegesi scribis, a nemine ante te observatum censeo. Plura scripturientem nunc quidem excusabis. Brevi Orationem meam accipies a Lennepio. Interim vale, vir eruditissime, meque tuum, quod facis, ama. Dabam Franequerae d. 2 Maji 1749.*

OPTIMO VALCKENAERIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Mensis jam est, ex quo me gravis et pertinax morbus afflixit. Cui cum Harlemenses Medici mederi non possent, Leidensis Aesculapius, Gaubius, adeundus fuit. Itaque per duodecim dies jam Leidae haereo, nec sine magnâ spe pristinae sanitatis recuperandae. Paulatim nunc redeo ad opusculum meum, cujus omnem curam abjicere cogebar. Hemsterhusii monitu quosdam excursus vel omisi vel in alias Epistolas rejeci. Brevis igitur libellus erit, sed (de quo gloriari licet) valde accuratus. Nam de singulis praesens praesentis suavissimi Hemsterhusii sententiam exquiro. Cujus summi viri facilitatem et paternum amorem saepe quidem alias expertus sum, sed numquam magis, quam in hac adversâ valetudine meâ. Plurimas integrasque vesperas, quas melius collocare poterat, mecum transigit, languentem ut

animum meum erigat. Multus nobis de te sermo est: multus de invidis obtrectatoribus tuis, quos, bone Deus! quam suaviter ridemus. Ego certe ita judico (nec discrepat sententia Hemsterhusii), nihil a te nuperâ Oratione scribi potuisse excelso et generoso animo tuo dignius. Ceterum Oudendorpius et Dorvillius, paucique alii minorum gentium Professores iniquissimos de illâ Oratione sermones publice privatimque spargunt; quorum impudens os tu alio tempore obturabis. Quod in Frisiacae Academiae laudem dixeras, offendit etiam (quis credat?) mitissimi virum ingenii, Albertium nostrum. Sed hunc et Hemsterhusius, et merita tua facile mitigarunt. Inde tamen falsus rumor manavit, Albertio quoque Orationem displicere: quod secus esse, ipse testari possum. Tua te virtus, Valckenaeri, extra omnem invidiae jactum posuit. Ride nobiscum pusilli animi homunciones. Dixi initio *Epistolae Criticae*, quod, ita me veritas amet, semper tamquam verum defendam, *Te uni tantum Hemsterhusio hoc tempore Graecarum literarum peritiâ cedere*. Hanc plagulam forte Dorvillius in bibliopolio vidit, et lectam indignabundus discerpsit. Ridesne, vir amicissime? Utinam de his coram tecum colloqui possem. Antonius Askew ex longinquo itinere ad nos revertit. Is praeter infinitas collationes sibi comparavit ingenti aere centum et octoginta codices MSS. Graecos et Latinos. Neque solum totam Germaniam et Italiam, sed etiam Graeciam, finitimasque regiones peragravit; ubi quinque millia inscriptionum descripsit; quarum tamen magna pars est edita. Idem Askew heri

Lennepio nostro dixit, se ex Italiâ secum tulisse editionem Ammonii pervetustam nec tibi visam, nec ulli memoratam, quâ cuncta, quae adhuc corrupta sunt, restitui possent. Mihi utendum dabit Orphei Codicem, longe, ut ait, praestantissimum eorum, quos in Europae bibliothecis vidit. Merito Graecis literis hanc fortunam gratulamur. Ipse doctissimus vir mox Londinum habitatum concedet. Haec scribebam raptim in museo fratris tui, juvenis amicissimi (1).

EXCELLENTISSIMO VIRO,

L. C. VALCKENAERIO,

τῷ χαριεστάτῳ,

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Habes tandem Epistolam nostram inclyti nomini tuo inscriptam: quae ne citius in lucem prodiret, adversa valetudo obstitit. Perferet illa, puto, ad posteros usque mei erga te amoris et observantiae testimonium. Exspectandum jam erit, quid alii, et imprimis Reiskius in Actis Lipsiensibus de qualibuscunque conatibus meis judicaturus sit. Sed jactet iste convicia, quot et quanta velit.

(1) Tempus, quo scripta sit haec epistola, non quidem indicatum est, sed ex argumento ejus satis apparet, ipsam ad Valckenaerium missam, esse ante editam Epistolam Criticam.

Tot enim telis magnus Schultensius noster rabidam ac ferocem bestiam nuper confecit, ut nihil fere ejus impetum extimescam. Epigrammata quaedam inedita, cum quod venustissima erant, tum quod amici ita cupiebant, proferre non dubitavi. Eadem non sine voluptate legebat Hemsterhusius, sapienter monens, eos plerumque his offendi solere, *qui Curios*. Nosti cetera. Ex duobus, quae tuo adjeci, exemplaribus alterum meo nomine trades Venerab. Venemae, alterum Clar. Schradero. Heringam, virum doctissimum, quem merito suo magni facio, mihi mitigabis, si forte aegre ferat, (quod vix putem) me in quibusdam modeste ab eo dissentire. Certe a contradicendi studio tantum abfui, ut etiam consulto Epigramma XXIV. et XXXI. praeterierim, quod duo ejus errores attingendi fuissent. Observationibus ejus legendis mirifice capior; quamvis neque Hemsterhusii, neque Alberti, neque (si id addere liceat) meae exspectationi plane satisfecerint.

Piersonium, Juvenem politissimum, accepi, novam Orphei editionem parare. Utinam hoc stadium, Te hortante et adjuvante, decurreret. Multa ei haud poenitenda suppeditarem. Altera Epistola mea continebit Emendationes in Callimachum et Apollonium Rhodium, nisi forte Platonis amor vicerit, in quo legendo et emendando ab aliquo tempore diligentissime versor. Novi hic nihil fere geritur. In Hesychio excudendo operae ad finem lit. K pervenerunt. Hultmannus meus, acerrimi juvenis ingenii, Commentarium parit in Muratorii Inscriptiones. Miedenium propediem exspectamus reducem. Salu-

tem Tibi impertiunt Hemsterhusius, Alberti, Meermannus, et Lennepius. Vale, Vir Magne, meque nominis Tui admiratorem, et laudis, si opus sit, defensorem candido et sincero, quo te ego, amore prosequere.

Dab. Leidae ex aedibus Bibliopolae nostri, de Pekker. d. 6. Octobr. 1749.

VIRO MAGNO,

L. C. VALCKENAERIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Singulare fuit gaudium, quod nuper ex literis tuis humanissime scriptis cepi. Quid enim mihi optatius posset contingere, quam tanto placere viro, cujus vestigia subsequi, quamvis longo intervallo, omni studio connitor. Valde etiam conatus nostros probarunt, ne de Leidensibus amicis dicam, Wesselingius, Burmannus, Wetstenius, Ernestus, alii. Quo minus offendor iniquiori judicio, quod duo Critici valde minuti, Staverius et Bernardus de opusculo nostro tulisse dicuntur. Quae adversus quasdam conjecturas nostras disputasti, gratissima acciderunt. Statui enim, initio Epistol. II. singula, de quibus nunc mihi secus videtur, retractare, ne vel minima cuiquam reprehendendi materia relinquatur. Pag. 11. Epist. meae et ipse initio conjeceram

οὐδὲν τίθεται. Sed postea nimia sollicitudo litterarum vestigiis inhaerendi, me a rectâ viâ abduxit. Quod pag. 20. scripsi, Aeschylum quaedam Orphei expressisse, noli a me incautius scriptum arbitrari. Jam dudum enim certissima in hanc rem argumenta deposui, quibus mihi videor posse probare, Onomacritum et Hymnorum et Argonauticorum auctorem esse, atque adeo ab Aeschylo legi potuisse. Qua de re, ut aliis etiam dubium eximatur, latius agam Epist. II (1). Pag. 22. de Ἄγανον docte, subtiliterque disputas (2). Vix tamen putem, Grammaticum ad ὠγμὸν et ἀγλυφὸν respexisse. Posses etiam Homericum δανὸν huc arcessere. Sed affatim exemplorum est, ubi Grammatici, vocem ignorantes, non minus diversis modis hariolantur et garriunt. Pag. 37. ὁ χαριέστατος etiam Lennepius conjecerat ἐν ἡδμονῇ. Quod tamen h. l. frigere videtur. Wesselingius noster vulgatam defendebat ex Appiano de Bell. Hisp. p. 522. et Bell. Civil. II. p. 782. ed. Toll. Quod an satis appositum sit, tu videris. Si exemplum vobis πρόλοβος, ubi de homine dicatur (quod Pollux l. c. affirmat), suggesseris, nondum damnaverim conjecturam. Pag. 70. ignosces, ὦ φιλτάτη ὑγιαίνῃς, si a te dissentiam. Σωρὸν ἐκβλύζειν plane Graece dici nequit (4). Nam eodem jure dicere liceret πᾶσαν ὕδωρ. Σωρὸν ἀκεστορίης Belgae dicerent *eenen Gezondheids-drank*, ut Latini, *poculum vitae, mortis*, etc. Sed

(1) Ep. Cr. II. A. p. 68. B. p. 228. C. p. 315.
(2) De voce Ἄγανον in edit B. et C. non agitur.
(3) Conf. Ep. Cr. I. B. p. 68 et C. p. 152.
(4) Conf. Ep. Cr. I. B. p. 116. Cr. p. 200.

omni emendationem dubio liberat, ne de Hemsterhusii consensu dicam, laudatum Meleagri Epigramma, ad quod manifeste respexit Leonides. Ceterum humani quid passus est vir egregius Adr. Heringa, quando hoc Epigramma ad Vespasianum refert. Nam ejus natales incidunt in hyemem XV. Kal. Decembr. vid. Sueton c. 2. At aquis Cutiliis utebatur tempore aestivo. Vid. Sueton c. 24. Quâ de re etiam sententiam suam dicet Oudendorpius ad Suetonium. Pag. 71. in Antiphanis Epigr. non debueram audire magnum Salmasium, μνῆστιν pro sepulchro accipientem (1). Melius nunc ita corrigo :

Λαβροποτας τρωκτὴς χερσὶ τίθησι τόκους.
Οὗτος ἐμοὶ τέθνηκε, περιμνήστην δὲ παρέρπω
Νεκρὸν etc.

Τρωκτὴς nominandi casu. Περιμνήστης nomen viri. Vide etiam, vir sagacissime, an λαθροποδας defendi possit. In Moscho Piersonius tuus ingeniose emendat φάρμος Ἰναχίης (2). Sed in Hymno in Venerem δέμνια κεκεκνόημα (3) minime est sollicitandum. Nam plane ex Homeri usu νόημα usurpatum pro ἐφεύρημα. Modo dixerat : καὶ ΜΗΤΙΑΣ ἐμὰς — τάρβεσκον. Tu, etiam, sat scio, Homeridae vix verbum restitueres, quo nunquam usus est Homerus. Bis τῷ ἄεμμα usus est Callimachus : cui forte reddendum in Epigrammate (hunc enim auctorem optimo jure praefert Cod. Vaticanus) Anthol. L. VI. c. XV. p. 569. ed. Wech.

(1) Jens. Epigr. p. 310. Ep. Cr. I. B. p. 117. C. p. 302.
(2) Piers. Veris. Lib. I. c. IV. p. 51.
(3) Hymn. in Ven. 252.

Κυνθιάδες θερσεῖς· τὰ γὰρ τοῦ Κυντὸς ἄκμονα
Κεῖται ἐν Ὀρτυγίᾳ τέξα τὰ Ἀρτέμιδος.

Idem distichon citat Suidas v. Κυνθιάδες. Sed sine ullâ variatione. Forte:

Τὰ γὰρ τοῦ Κυντὸς ἄκμονα
Κεῖται ἐν Ὀρτυγίᾳ τέξα τὰ Ἀρτέμιδος.

Librarius Cod. Vaticani pro nomine proprio accepisse videtur. Habet enim ἐχέμυθον. — Nae tu, Vir Eximie, vere et prudenter ultimis literis monuisti: *Quam vereor, ne te Plato diutius teneat, atque ar litteris*. Nam quo familiarius cum eo consuesco, eo plus mihi ad divinum Philosophum emendandum deësse intelligo. Itaque, antequam hujus operae specimen edam, excutiendi sunt omnes interpretes Graeci, evolvendi utriusque linguae auctores, qui Platonica vel citarunt, vel verterunt, conferendus denique Stobaeus, ejusque codex Leidensis quantivis pretii. Hipparchum Platoni libens tecum abjudico: et jam olim de ejus γνησιότητι dubitarat Aelianus Var. Hist. L. VIII. c. 2. Parum habet salis Socratici; neque satis certa videntur, si Thucydidem audias, quae de Hipparcho, Pisistrati filio, traduntur. Eundem tamen multi nec contemnendi auctores agnoscunt, v. c. Harpocration v. Ἀναθέσθαι. et Apuleius de Philos. p. 272. — Timaei Lexicon Platonicum, laetus intellexi, te Parisiis exspectare. Utinam limatissimis curis tuis excultum in lucem prodiret! Sin te Sophocles, vel alia graviora ab hoc instituto avocent, vel ejus nanciscendi difficultas oboriatur, equidem edendi provinciam arripiam bonâ cum pace tuâ. Nam hoc ipso tempore nobilis-

simus amicus Parisiis versatur, qui facile describendi copiam a Clar. Sallierio impetrabit. Cumque singula e Platone in usus meos excerpam, facile fuerit ejus Lexici editionem adornare. Timaei cum mentio inciderit, locum ejus obiter castigabo.

Μετρίως ἀργιασμένος, ἀντὶ τοῦ, μεμαλαγμένος, ἢ δεδευμένος. Suidas, qui plura ex hoc Lexico hausit, aliquanto corruptius : Μετρίως ὠργισμένος, ἀντὶ τοῦ μεμαλαγμένως, ἢ δεδευμένος. Infra Timaeus rectius : Ὠργασμένος, μεμαλαγμένος, plane ut Hesych. in voce. Respicit autem locum Platonis in Theaetet. p. 136. D., ubi cum antea mendose legeretur εἰργασμένος, recte Leopardus Emend. L. XVI. c. 16. ex Suidâ revocavit ὠργασμένος, probante Cl. Kustero ad Tom. II. p. 760. Confer. Eustath. ad Il. B. p. 219. qui ibi respicit locum Aristophanis Avib. v. 840.—Epistolam meam II. in Callimachum et Apollonium Rhodium mox operis exscribendam dabo. Hymno in Apollin. v. 51. an tu, qui tot perplexa solvis quotidie, intelligis, quid sibi velit Scholiastes? Emendabam vel αἶγες Δεύοιντο — ἐπί κηλάδες, ex Hesychio v. κηλάς, vel μηκάδες ex Homero, ut ἐπὶ per tmesin ad δεύοιντο referatur (1). Neque dum indagare potui, quam lectionem idem Scholiastes secutus sit Hymn. in Dian. v. 136. Certe corrupta arbitror illa ὅστις ἀληθής. Hymn. in Del. v. 78. vix concoquo istud πεπάλακτο κεραυνῷ. An scribendum, πεπάτακτο? Apud Apollon. Rhod. L. IV. v. 592. est τυπεὶς κεραυνῷ. (2). Eâdem Epistolâ aliquoties excurram ad Anthologiam

(1) Ep. Cr. II. A. p. 13 B. p. 133 : C. p. 221.
(2) Ep. Cr. II. B. p. 153. C. p. 240.

tam editam, quam latentem adhuc in MSS., cum quâ quum his diebus Suidam accurate conferrem, centum amplius loca felicissime sanavi. Cujus operae luculentum specimen hic apponere juvat. Suidas : Μυοῦς· ἡ ἁπαλὴ θρίξ. Καὶ μυοῦ χρῶτα τερεινοτέρη. Incredibilem hominis stuporem! Audi Epigrammatariorum, si a Meleagro discesseris, venustissimum, Philodemum (huic enim tribuit Cod. Vatican). Anthol. L. VII. ep. 99. p. 610.

Μικκὴ καὶ μελανεῦσα φιλαίνιον, ἀλλὰ σελίνων
Οὐλοτέρη, κἠμνοῦ χρῶτα τερεινοτέρη.

Hinc ille sua depravavit. Philodemus autem colorem traxit a Theocrito. Rursus Suidas Ῥυκάνα. τεκτονικὸν ἐργαλεῖον. Καὶ πέλεκυν, ῥυκάναντ' εὐάγεα, καὶ περιαγὲς, etc. Locus pertinet ad Leonidae Epigramma Anthol. L. VI. c. 27. ep. ult. p. 580, quod et Kuster. observavit. Sed, quod rei caput est, latuit eximium virum, monstrum vocabuli nobis a Suidâ obtrudi. Ne dubites, mi suavissime Valckenaeri, quin ita dederit Leonides :

Καὶ πέλεκυν, τυκάναν τ' εὐάκεα καὶ περιαγές.

Meministi hic eorum, quae ὁ θαυμάσιος Hemsterhusius notavit ad Poll. X. §. 147. Iterum Suidas : Λύγα σκοτεινά. Ἐφάνη γὰρ οἱ αὐτὴ ἱστοῦ παρὰ κρόκαισι, ὡς λύγα πυρός. Locus decerptus est ex Hegesippi Epigrammate ἀνεκδότῳ, quod integrum adscribam :

Τάνδε παρὰ τριόδοις τὰν Ἄρτεμιν Ἀγελόχεια
Ἔτ' ἐν πατρὸς μένουσα παρθένος δόμοις
Ἔσσατο Δαμαρέτου θυγάτηρ· ὀφάνη γὰρ οἱ αὐτὰ
Ἱστοῦ παρὰ κρόκαισιν, ὡς λύγα πυρός (1).

(1) Ep. Cr. II. A. p. 44. B. p. 180. C. 268.

Vers. tertium citat etiam Suid. v. Ἔσσατο. In fine turpem mendam latere puto, non quod de probitate vocis λύγα dubito, quâ etiam Plato usus est; (v. Timaei Lexicon h. v.) sed quod ἀπροσδιόνυσον videtur: *apparuit illi Dea, tanquam tenebrae, vel umbra ignis.* Quare unice placet conjectura nostra:

Ἐφάνη γὰρ οἱ αὐτὰ
Ἴστοῦ παρὰ κρόκαισιν, ὡς ἀυγὰ πυρός.

Ringetur livor Amstelodamensis, si viderit, nobis adolescentibus melius, quam sibi viro, operam in Anthologiâ emendandâ cedere. Nam etsi is ubique in libellis suis Anthologiam crepat, hactenus tamen ne unicam quidem ejus emendationem protulit, quae quidem emendatio dici mereatur. De Vanno ejus Criticâ quosdam video magnifice sentire; cum tamen mihi, forte et tibi, si rerum argumenta spectes, jejeunus et exilis liber videatur. Haephestionis correctiones ad unam omnes Hemsterhusii privatis literis sublegit impudens laverna. Ad Epigrammata revertor; e quibus hoc ineditum cum ipsis maculis, quibus obsidetur, apponam, ut acerrimo ingenio tuo castigatius redditum ad me redeat.

Ἀσκληπιάδου τοῦτο οὐκ ἐρωτικὸν, ἀλλὰ καπηλικὸν, καὶ κώμου μεστόν.

Τῶν καρύων ἡμῖν λαβὲ κωλάδας. ἄλλα πόθ' ἥξει.
Καὶ πέντε στεφάνους τῶν ῥοδινῶν τε το παξ.
Οὐ φῆς κέρματ' ἔχειν. διολώλαμεν. οὐ τροχιεῖ τις;
Τὸν Λαπίθην λῃστὴν οὐ θεράποντ' ἔχομεν.
Οὐκ ἀδικεῖς οὐδὲν, φέρε τὸν λόγον. ἐλθὲ λαβοῦσα
Φρύνη τὰς ψήφους. ὦ μεγάλου κινάδους.

Πέντ' εἷνος δραχμῶν, ἄλλος δύο . . . . . .
Ὅτα λέγεις σκόμβροις θεσμυχέεξ σχαδόν ἐξ
Αὔριον αὐτὰ καλῶς λογιούμεθα. νῦν δὲ πρός Αἴσχρον
Τὴν μυρόπωλιν ἰὼν πέντε λάβ' ἀργυρέας.
Εἰπὲ δὲ σημεῖον Βάκχουν, ὅτι πέντ' ἐφίλησεν
Ἑξῆς. ὧν καινὴ μάρτυς ἐπεγράφετο.

In hoc elegantissimo Epigrammate plura sunt corrupta, nonnulla et obscura. Tu, κριτικώτατε Valckenaeri, qui Athenaeum diligenter inprimis trivisti, utrique malo medeberis. V. 2. πάξ videtur esse silentii nota, de quâ vide Colvium ad Apuleji Apolog. 11. p. 364., qui ibi insignem Diphili locum laudavit. V. 3. et 4. citat Suid. v. τροχαῖον, quod Kusterum fugit. V. 6. itidem habet Suid. v. κίναιδος. Sed mendoso codice deceptus legit: ὦ μεγάλαι κιναίδου. quod et metrum et res ipsa ab hoc loco abesse jubet. κίναδος est πανοῦργος, ut apud Aristophanem, Theocritum, alios: quam vocem varie apud Hesychium corruptam nuperrime egregie restituit Joannes noster Alberti. — In Jensianis Epigrammatibus larga abhuc corrigendi messis superest. Itaque et his peculiarem Epistolam destinavi. Num. XXVIII. adfertur Leonidae Tarantini (1):

Τέλληνος ὅδε τύμβος, ἔχω δ' ὑπὸ βώλεω πρέσβυν
Τήϊον τόν πρῶτον γνόντα γελοιομελεῖν.

Clar. Heringa Observat. p. 199. Ἕλληνος corrigit, et de Anacreonte accipit. Videas, an satis recte. Scriptum arbitror Epigramma in Tellenem, poëtam, vel scurram potius dicacissimum, qui forte Τήϊος vel

(1) Jens. Epigr. p. 316.

Κνίος fuit. Vide, quos laudat Wolfius ad Libanii Epistol. DXLVIII. — Ibid. n. LVIII. secundum distichon ita refingo (1) :

οὐκέτ' ἐρημαίῃσιν ὑποπτήσσεσθε λεόντων
Ὠρυγάς ψαμάθους ἄχρις ὑπὲρ Νομάδων.

Conferas, quaeso, Archiae Epigramma Anthol. L. IV. cap. 8. p. 448. quo ὑποπτήσσεσθε confirmatur, sed ἠχοῖ stabiliri videtur : quod tamen huic loco quomodo conveniat, non intelligo. Sed nimis Te diu nugis meis detineo. De reliquis igitur breviter sic habeto : nihil iis, qui haec studia severiori lege tractant, gratius optatiusquae accidere posse, quam si Tu tantâ sagacitate et eruditione vir, de spuriis versibus, vel libris etiam integris, quibus quotidie illudimur, aliquid chartae consignes. Paucis obtigit illa ῥῖς κριτικὴ, quam in Te admiramur. Nuper in Angliâ extitit praefidentis homo ingenii, Richardus Dawes, qui contra omnem Antiquitatem Hymnos Callimacheos non a Callimacho, sed nescio a quo alio scriptos statuit. Sed is mihi brevi satis poenarum dabit. — Ὀλίγος παῖς, quod Euripidi restituis, longe elegantissimum est, et confirmatur iis, quae notavit Casaub. Lect. Theocr. c. XIII. p. 268. Praeclaram Tragici emendationem aliâ in ejus Scholiasten compensabo. Callim. Fragm. Bentl. n. CCCLXXVIII. Σκειρωνίδες πέτραι καλοῦνται ἀπὸ τοῦ Σκείρωνος, ὃς τὴν χελώνην ἔτρεφεν, οὗ μέμνηται Καλλίμαχος. Haec cum monstrose corrupta sint, mirum est, Illustrem Bentlejum ea intentata praetermisisse.

(1) Jens. Epigr. p. 324.

Legendum: Χειρωνίδες πέτραι καλοῦνται ἀπὸ τοῦ Χείρωνος, ὅς τὴν χελώνην ἔκρεξεν, (vel, quod solum verum puto, ὅς τὸν Ἀχιλλέα ἔτρεφεν) ὧν μέμνηται Καλλίμαχος (1). Nihil verius. Respicit Hymn. in Del. v. 140.

Καὶ μεγάλη Λάρισσα, καὶ αἱ Χειρωνίδες ἄκραι.

Ubi vide Scholia. Desinam tandem, si prius tibi suspicionem meam de Sophoclis Fragmento indicavero. Hesychius: Ὀμπνίου νέφους. μεγάλου, πολλοῦ, αὐξημένου. Hanc Glossam ad Sophoclem pertinere, discimus e Suidâ: Ὄμπνιον νέφος. Σοφοκλῆς Θησεῖ. A Sophoclis manu videtur esse: Ὄμπνιον ἄφενος. Lycophr. v. 1264 κτῆσις ὀμπνία. Vid. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Cerer. v. 2. Sed obstat ὄμπνιον et ὀμπνηρόν ὕδωρ apud Hesych. et Suid. Mirum, ni id depravatum sit ex ὄμβριον, et ὀμβρηρόν. Imo posses etiam dubitare, anne Sophocles dederit: Ὄμβριον νέφος, ut Aristophanes, Tragicos imitatus, Nub. v. 287. Sed prius malim. Habes verbosiores literas, amicissime Valckenaeri, quibus ut aeque verbosas reponas, etiam atque etiam rogo. Grave est et audaciae plenum, a Te postulare, ut singula quaesita nostra accurate excutias, de iisque judicium interponas tuum. Sed tamen cum nullâ in respondendo festinatione opus sit, Tuque laetus conatibus nostris suppetias ferre soleas, hanc quoque molestiam in gratiam nostram subibis. Vale, dulce Musarum decus, nosque ama. Dab. Harlemi. d. 7. Decembr. 1749.

Supra ubi de Jensianis Epigrammatibus agebam, de n. XLI. Te consulere obliviscebar.

(1) Ep. Cr. II. A. p. 48.

Ὤχευε Ἰασκίπων κινησία Ἑρμοῦ ἄγρις,
Ἐκτίσων Ἀΐδη χρεῖος ὀφειλόμενον,
Γηραιὲ τ' ἄρτια πάντα φέρων χρήστην δέ δίκαιον
Εὑρών σε στέργει παντοβίης ἀχέων (1).

Satius forte esset, a tam desperatis vulneribus manum abstinere. Adferam tamen hariolationes meas, si forte Tibi melius conjectandi ansam praebere possem. Puto igitur Epigramma scriptum esse vel in Cynicum Philosophum, vel in senem decrepitum et pannosum. Similia propemodum leguntur Anthol. L. III. cap. εἰς φιλοσόφους p. 420. Scio Κινήσιας esse nomen proprium : sed forte vox σκίπων adjungi sibi postulat κιβησία, *pera*. vid. Hesych. v. κυβησίαν. Pro Ἑρμοῦ ἄγρις tentabam Ἑρμοῦ βᾶρις, *cymba Charontis, vel Mercurii*. Mox lego : Γήραϊ τ' ἄρτια πάντα φέρων, aut πήρᾳ τ' ἄρτια, scilicet *obolum*. In fine manifeste patet emendandum esse : — στέρξει παντοβίης Ἀχέρων. Vide, mi Valckenaeri, an hae conjecturae alicui Tibi usui esse possint. Iterum vale.

DAV. RUHNKENIO

S. P. D.

LUD. CASP. VALCKENAER.

Dum in ultimis literis, quibus nullâ dicebas opus esse festinatione, mi Ruhnkeni, tarditati praesidium videbatur positum, sex hebdomades iterum effluxere.

(1) Jens. Epigr. p. 320.

Hoc die veternum excutere decrevi, quaeque per literas duxisti vestigia persequar. Quod scribis, nonnullis certe perplacuisse tuum opusculum; id, meâ quidem sententiâ, cogitare poteris de omnibus in universum, qui quidem veri literarum sunt amatores, atque adeo generosioris etiam indolis; quid alii censeant, ciccum non interduis (1). *De Bernardo quod fuit ad te perlatum, nisi manifestis indiciis constat, credere noli. Sic enim ad me scripsit, ut cui pleraque omnia tua perplacuerint. Frisiorum judicia si non aspernaris, in hoc angulo terrarum habes, o Noster, laudatores cupidissimos in Lennepio tuo, Heringâ, Schradero, Venemâ, Conrado, Piersono, hominibus vulgo exemtis longe longeque, candidis autem et idoneis judicibus. Scin' quid unus et item alter, qui tibi bene cupimus, animitus desideraremus? Ut nimirum in antiquis Ictorum reliquiis illuminandis, certe post vulgatam Epist. II., edito simili libello, periculum faceres, quo ferreis frontibus et Mopsis ruborem excuteres, et viam tibi parares ad sedem te dignam, in quâ lumen ingenii latius etiam spargeres, et ingenia nobilium juvenum, quae, me Hercule, corrumpuntur ubique locorum, informares ad civitates regendas. Si indigeres hortatore, ablegarem te ad Meermannum: sed quâ mentis es acerrimâ perspicaciâ, tutemet et rectius videbis, quid in rem tuam sit futurum. Illud interim scias, quod pulchre forte nosti,* Joannem de Buck, *qui Principi Arausonis est a consiliis, hominem esse supra quam credi potest eximium, sed sic literarum atque elegantiae veteris et genuinae*

(1) De hac dicendi formulâ vid. J. Fr. Gron. in Lect. Plaut. p. 76.

sincerum judicem, ut me quidem nuper (nam Leovardiam venerat Dominum comitatus) valde ceperit. Quid si ne nunc quidem negligeres exemplum Epistolae tuae ad illum Hagam mittere. Solius Buckii commendatione nuper Corn. Valer. Vonckius admotus est ad administrandam cum caeteris civitatem Neomagensem. Sed ne te quoque velle videar αὐλὰς θεραπεύειν, *illuc redeo.*

Quae conjecturis meis opposuisti, perplacuere: sic tamen, ut nonnulla necdum penitus persuadeas. Tune, Ruhnkeni, Argonautica tribuis hymnorum artifici divino? Tamen, qui conflavit illa, videbatur satis fuisse peritus Orphicae theologiae; sed si spectas ad hymnorum patrem, mihi quidem (patere, quaeso) somnium et prope stupor. — Dissentiam quoque pace tuâ in Epigrammate Tymnae. Primum dicitur filium interfecisse; tum vero, quid egerit praeterea: si designaretur, quod tu volebas, non certe θεμένα *posuisset poëta. Sed, mi amice,* πρόλοβος *de homine poni non potuit, nisi qui sinum illum in gutture habuerit prominentem, avis instar:* ὄρτυγι πρόλοβον *tribuit Alex. Myndus L. II. Hist. Anim. apud Athen. IX. p.* 392. *C. — Antiphanis Epigr. eleganter videris correxisse, quamvis necdum liquidissimum. — Jure tuo respuis in hymno* ἄεμμα. *— In Epigr., quod feliciter vindicas Callimacho, non Cretensis videtur potius nomen proprium* Ἐχέμμας? *— De Platone quod scribis, minus miror. Is nunc Lennepium nostrum detinet. Timaei Lexicon Platonicum ante biennium jam exspectabam a Cl. Kocheri, theologi Bernensis, fratre mihi Parisiis describendum, sed etiam nunc exspecto:*

eo potissimum totius libelli contrectandi cupidus, quia saepius e paucis illis vulgatis Platoni restitueram veterem lectionem. Dum amicus meus otiose cessat, tu vero, mi Ruhnkeni, noli quaeso dimittere occasionem oblatam. Laetabor, ubi ad te pervenisse intellexero: magis autem laetarer, si quando libellus Tuâ curâ vulgatus in lucem prodiret. — Μετρίως ὠργασμένος *docte restituis. Si forte non animadverteris, unam tibi literulam e Gramm. corrigam in Platone. Audistine unquam ova secta et arefacta sale condita servari? Audi itaque Platonem in Sympos. p.* 190 *E. Jupiter* ἔτεμνε τοὺς ἀνθρώπους δίχα, ὥσπερ οἱ τὰ ὠὰ τέμνοντες, καὶ μέλλοντες ταριχεύειν. *Immo vero scripserat Plato* ὄα. *Timaei Lex.* Ὄα, ἀκροδρύων εἶδος μήλοις μικροῖς ἔμφερες (1). *Jam mihi facile credes dicenti, nuspiam alibi in Platonis, quae supersunt,* sorbis *locum esse.* Οὖα *vocat Dioscorides praeter caeteros, sed is L.* 1. *c.* 174 οὖα *memorat* τὰ μηλίζοντα, καὶ μήπω πέπυρα, τμηθέντα καὶ ξηρανθέντα ἐν ἡλίῳ. *In Philylli et Antiphanis locis apud Athenaeum vox* ὄα *transiit in* ὠὰ *similiter.*

Quam primum libellum acceperis, si hac in parte sum hariolus, Γνωματεύοντα *reperies, ubi* Γνωμονεύοντα (2) *vocem non Graecam posuit festinans Montfaucon, qui nobis e Phrynicho p.* 466 *dedit* Γλωττ. . *etc., ubi restituendum* Γνωματεύοντα, τὸν *etc.* — Πλάτων Πολιτικῶν *H. Legitur Lib. VII. Polit. p.* 516. *E. isto sensu, quo cepit Grammaticus* (3). *Sed ubinam nobis*

(1) Montfauc. Bibl. Coislin. p. 480. et Ruhnk. ad Tim. Lex. in V. Ὄα.

(2) Vid. Ruhnk. ad Tim. Lex. in V.

(3) Imm. Bekkerus, qui Phryn. Soph. App. edidit, pro Γλωτ exhibet aeque vitiosum quid, Γλωτ τὴν: Sed legendum Γνωτεύοντα, ut veris-

tam diu moratur Phrynichi Sophisticus Apparatus, qui Colmariae typis describi coepit ante biennium operâ Staeberi? Nostine nuper in Germaniâ Latine conversum a Daniele Peucero prodiisse Ammonium? Hae e Strodtmanni, Rectoris Osnabrugensis, literis intellexi his diebus ad me perlatis. Vidistine Semleri libellos e Germaniâ nuper allatos, observata quoque complexos in Hesychium, quibus nihil excogitari poterat magis inficetum.

In Callim. h. in Apoll. V. 51 *correxeram* οὐδέ κεν αἶγες Δεύοιντο βρεφέων ἔτι μακάδες. *Prorsus illud etiam* οὐδέ κεν — ἔτι nec amplius, — *requiri videtur. Scholiasta, indignus, qui nos detineat: quid sibi velit hoc in loco non magni emeris detexisse. Quid voluerit ad h. Dian. V.* 135 *minus obscurum. Supple, sodes, ad sensum saltem implendum,* εἴην δὲ καὶ αὐτὸς τούτῳ *scil.* φίλος. *Illud miror, qui Fabro tibique, viris ingeniosissimis et perdoctis displicuerit,* ἐμοὶ φίλος ὅστις ἀληθής. *Euripides in egregiâ gnome Hippolyt. V.* 927: Ὅστις τ' ἀληθής ἐστιν, ὅστε μὴ φίλος (1). *Confer, si placet Supplic. V.* 867: *Iphig. Taur. V.* 610. *Si retractas h. in Del. V.* 78, *non amplius vulgatam arbitror displicituram. — Quae porro mecum communicasti, eximia sunt et te digna. Suidae peccata sagaciter investigasti. —* αὐγὰ πυρός *elegantissimum. In Jensiano Epigramm.* Τέλληνος *tecum retinuerim. Pro* Δηρίφατον *pag. seq. rectius* Κηρίφατον *ex Hesychio posuisset Heringa. — Eleganter etiam restituis Epigr. LVIII.*

sime emendavit Pierson. ad Moer. Att. p. 113, judice Ruhnkenio ad Tim. Lex. edit. 2. p. 73.

(1) Vid. Valck. ad Eurip. l. c.

Richardus Dawes an in alio libro hymnos Callimacho abjudicaverit, nescio; sed in Miscell. Criticis unum duntaxat hymnum in Cererem inclementer stolidissimum vocat p. 262 *homo supra modum φίλαυτος, aliorum, Bentleji quoque, superbus contemtor, qui poëtas Atticos, sed hos diligentissime legit, recentiores vero prope nullos; hinc multa nobis adnumerat tamquam sua, quae Canterus, Flor. Christianus, Salmasius, Gatakerus atque alii plures dudum occuparant. Sed est metri scientissimus, et sermonis Attici; nonnulla quoque detexit in Aristoph., quae a perpaucis exspectaremus. Eidyllium XXV indignum censet Theocrito pag.* 101, *quod laetabar. Lecto libello, quaedam recte tradidisse Dawesium fateberis, in Callimacho versatum infeliciter. Obsecro te, mi Ruhnkeni, Dawesium acriter refutare noli. Qui si perrexerit eodem pede, literis non parum commodi videtur allaturus. — Fragm.* Callim. 378 *retulerunt ad Hecalen; tu, priusquam de eo publice censeas, inspice quaeso Meursii Theseum Cap. VI, et ibidem Diodori Siculi locum. —* Ὀμπνιου ἄφενος, *vel* ὄμπνιου φενος *Sophocle, et te vindice, dignissimum. Quod ultimum in eruditissimis literis posuisti Jensianum Epigramma XLI. mihi scriptum videtur in Cinesiam, qui viridi senectâ vegetus et membris integer illuc abierat, atque ita restituendum :*

Ὠΐχετο ἀσκίπων Κινησίας Ἑρμοῦ ἄγρευμα
Ἐκτίσων Ἀΐδῃ χρεῖος ὀφειλόμενον
Γήρᾳ ἔτ' ἄρτια πάντα φέρων· χρήστην δὲ δίκαιον
Εὑρών σε στέργει παντομιγὴς Ἀχέρων.

In epigrammate Asclepiadae inedito, quod olim

fuit venustissimum, partem tantummodo veri detegere hactenus potui. Juvenis κωμαστής, cui sacculus plenus erat aranearum, cum caupone, pecuniam ab ipso exigente, colloquitur. Jam dudum forte scripturam veterem redintegrasti; sin minus, alias de hoc argumento iterum videbimus. Interim confer quaeso locum non dissimilem Alexidis apud Athen. III. p. 117. *et* 118. — *Callimachi fragm. CVI. venustissimo, ad Elegiaca procul dubio referendo, vide, num sic integrari possit V.* 2: *Ξάνθε, σὺν εὐόδμοις ἁβρὰ λίπῃ στεφάνοις, ut Elegiam amico Xantho inscripserit* (1).

Illud forte non negabis ex Elegis (non ex obscuro poëmate) petitum fragm. XII, sic refingendum:

Ὑγρόν ἐπ' ὀστλίγγων ἀιὲν ἄλειφαρ ἔοι (2).

Certe Theocritus ὑγρὸν ἄλειφαρ dixit XVIII. 45: *qui cum in Eidyl. XXIV.* 51 *posuit λύχνοις ἅμα δαιομένοισι, potuerat Bentlejus fragm. XLVII ponere, — εὖτ' ἅμα λύχνῳ Δαιομένῳ — pro εὖτ' ἂν λύχνου, quod legitur in Schol. ad Aratum.* (3). — *In fragm. seq. certo ponendum Δηωΐνην,* Deoïnen, *Cereris, Δηοῦς filiam. Reliqua quoque tentavi: vellem ut de reliquis idem nobis incideret: tuus consensus esset his in rebus mihi certe certus index veritatis. Vale, praestantissime vir, meque tuum, quod facis, ama.*

Dabam Franequerae a. d. XXIII Jan. 1750.

(1) Conf. Ern. ad Callim. p. 479. Valck. Eleg. Fragm. Callim. p. 230
(2) Conf. Ern. l. l. pag. 421. Valck. l. l. pag. 205.
(3) Conf. Ern. l. l. pag. 432.

VIRO PRAESTANTISSIMO ET AMICO SINGULARI,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Serius aliquanto, quam oportebat, ad te mitto Excerpta ex Glossariis meis et Olympiodoro Msto. Sed tu, quâ es facilitate, libenter veniam dabis homini, si unquam alias, occupatissimo. Constitueram simul de locis quibusdam Platonis ad te referre. Sed jure quidem tuo hoc tempore respueres severum Philosophum. Magis conveniunt Poëtarum gratiae et veneres, quibus excelsum animum tuum, missis tetricis istis, nunc ali et nutriri par est. Dici vix potest, mi suavissime Valckenaeri, quantum nuper gaudii ceperim, cum Hemsterhusius narraret, reluctantem illam et superbam dominam tandem oppugnatam Amori cessisse. Haec novum tibi semper vigorem inspirabit, reficietque blandissimo suo adspectu animum eruditis curis fatigatum. Haec nobis maturabit Sophoclis editionem, et tot alia, quae absque eâ nimis fortasse sero lucem adspexissent. Ne tamen literae meae nimis jejunae videantur, age, paucula e Platone subjungam, reliqua in aliud tempus reservans. Locum illum in Critiâ p. 560. E. ed. Laemar., de quo sententiam meam rogabas, ita legendum puto : ὅτε δένδρων αὐτόθεν εἰς

οἰκοδομήσεις τὰς μεγίστας ἐρεψίμων τμηθέντων στεγάσματα ἔστη ἔτι σῶα. Tempus certe praeteritum, quale est in ἔστη, *stabant*, requiri videtur. In ejusdem Dialogi initio ἀγαπητῶς irrepsit tanquam Glossa vocis ἄσμενος. Ibid. p. 559. D. dicit Atlantida insulam esse ὑπὸ σεισμῶν δυσανάπορον πηλόν. Praestatne corrigere: ὑπὸ κλυσμῶν? Sequitur mox: θεούς ἀγνοεῖν τὰ πρέποντα ἑκάστοις αὐτῶν, οὐδ' αὖ γινώσκοντας μᾶλλον ἄλλοις προσῆκον. Vix fero hoc loco vocem μᾶλλον. Videtur scribendum: τὸ λάχος. Timaeus in Lexico: λάχος· κλῆρος. Nusquam vero in Platone hanc vocem legere nemini: quo probabilior est conjectura. Platonis lectionem nuper absolvi. Sed nonaginta fere Glossae restant, quarum sedes non detexi. Ex his potuerunt quinque ad summum aut sex attentionem meam effugere. Reliquae corruptae latent, vel petitae sunt ex Dialogis Platonis deperditis sive nothis sive genuinis. Cujus opinionis argumentum satis certum proferam. Prima libelli glossa: Ἀγαθοεργοί in Platone haud occurrit. Neque reperio ἱππαγρέτας, neque πυθίους, sive συσσίτους Regum Lacedaemoniorum. Nosti, tres esse magistratus Lacedaemonios. Mirum vero, si trium simul mentio in Platone esset deleta. Quid igitur? Glossae petitae sunt ex dialogo deperdito, ubi sermo factus sit de Laconum magistratibus, et hi tres forte juncti fuerint. In editis dialogis Plato aliquoties loquitur de Lacaedemoniorum republicâ. Sed ibi hi magistratus locum habere non possunt. Simul etiam hinc concluditur, studium illud, quo Platonem ex Timaeo emendare conabamur, valde incertum reddi. De principio

Gorgiae nuper coram egimus. Legerim : πολέμου καὶ μάχης φασὶ χρῆναι οὕτω μεταλαγγάζειν. quod verbum pluribus ornavit Hemsterh. ad Polluc. Obstat tamen Timaeus, qui Μεταλαγχάνειν explicat ἀφυστερεῖν, ἢ ἀποτυγχάνειν κλήρου. Sed frustra, ut puto. Idem Timaeus : Βάδην, ἐπειγομένη πορεία. Corrigo, inserta negatione : οὐκ ἐπειγομένη πορεία Frustra βάδην in Platone quaeras : sed videtur restituendum in Phaedro p. 237. B. non procul a princ. ἂν βαδίζων ποιῇ τὸν περίπατον Μεγάραδε. Lege : βάδην. Sed quid hoc Glossae est apud eundem Timaeum : Ἀγίαν. τὸν ἡγούμενόν τινος? Mihi aqua haeret : tu, acutissime Valckenaeri, nodum expedies. Plura in praesenti addere non ausim. Satis me beatum praedicabo, si ad haec respondendi tibi otium fuerit. Interea nec ipse cessabo, Glossarum haud inventarum sedes quaerere. Salutant te juvenes amicissimi, Lennepius et Piersonus. Salutes meo nomine Venemam, Schraderum, Cannegieterum. Bene vale, Vir Eximie, mihique amorem tuum, quo nihil mihi jucundius esse potest, conserva. Dab. Lugduni Batavor. d. 29. 1751.

In Epistola Crit. 11. brevi proditura nonnullis etiam Callimachi fragmentis medicinam facio. In Fragmento 266. lequitur mendose :

Ἢ ὑπὲρ αὐσταλέον Χαρίτων λόφον.

Conjiciebam : Ἢ ὑπὲρ Αἰγάλεων, Χαρίτων λόφον hoc sensu, ut Poëta Aegaleon, Atticae montem (de quo multa Meurs. Reliqu. Attic. p. 4. 5.) propter singularem ejus amoenitatem vocarit Gratiarum collem. Sed huic correctioni Pindari Scholiastes obstare videtur; quod impedimentum si quâ ra-

tione removeris, bene de nobis mereberis (1). Invitus enim ab hac conjecturâ discedo. Iterum vale, mi Valckenaeri.

VIRO EXIMIO ET AMICO SINGULARI,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Perfunctus molestissimo Thalelaei vertendi labore, ad mitiores Musas redeo, simulque commercium literarium, quod mihi tecum multo jucundissimum intercedere solet, post longum satis intervallum instauro. Quando enim coram sermonibus tuis frui haud licet, absens certe non carebo suavitate, quae ex literis tuis percipitur. Jam etsi hoc tempore pauca admodum occurrebant, de quibus ad te referrem, vel sic tamen scribendum putavi, ut literas tuas elicerem omnis elegantiae plenas. Ultimae, quas superiori anno ad me dedisti, iis distinctae sunt doctrinae luminibus, quibus omnia, quae a te proficiscuntur. In pauculis tamen si a te dissensero, veniam dabis. Fragmentum Euripidis ap. Schol. Pindari p. 227. verissime accipis de Amore. Sed locum ita correxerim:

Ὦ παῖ Διώνης ὡς ἔφυς μέγας θεός,
δεινός τε, θνητοῖς τ' ἐνδαιμῶς ὑπόστατος.

(1) Vid. Rahnk. ad Callim. edit. Ern. p. 554.

Pro θεωτέ τε solemni permutatione scriptum fuit θεάς τε, quod facile abire potuit in θίοτυτε. Alterum Euripidis Fragment., quod Plato in Gorgiâ conservavit, ita emendas :

. . . . . ψυχῆς ὧδε γενναίαν φύσιν
Γυναικομίμῳ διαστρέφεις μορφώματι.

Sed hanc conjecturam evertit Philostrat. Vit. Apoll. Lib. IV. c. 21 pag. 160., qui ita verba sua ordinavit, nulla ut in eum corruptelae suspicio cadere possit. Mihi quidem Fragmentum hoc modo sanandum videtur :

φύσιν ψυχῆς ὧδε γενναίαν ἔχων,
Γυναικομίμῳ διαπρέπεις μορφώματι.

Haud dubie ἔχων vel simile verbum apud Platonem excidit, unde accusativus φύσιν pendeat. Quo admisso, verbum διαπρέπω neutralem suam retinet potestatem. Est autem (quod te minime omnium fugit) creberrimum apud Platonem vitii genus, ut verba quaedam ad sententiam perficiendam necessaria interciderint. In Sympos. p. 324. A. edit. Lugd. vulgatur : εὖ καὶ μαλ' ἂν φοβοῖο, καὶ ἐν παντὶ εἴης, ὥσπερ ἐγὼ νῦν. Facile patet, supplendum esse. — καὶ ἐν παντὶ δέει εἴης, ὥσπερ ἐγὼ νῦν. Nam paulo inferius idem Socrates ait : Ἀρά σοι δοκῶ ἀδεὲς πάλαι δέος δεδιέναι. Philostrati mentio cum sit injecta, libet specimen nostrarum in eum conjecturarum tecum, mi Valckenaeri, communicare. Vit. Apoll. L. IV. p. 165. Καὶ πάλλουσι τοῖς ἀφροδισίοις, οὓς ἂν ἐθέλωσι δαίσασθαι. Legendum : αἰκαλαλούσαι (quod verbum frequens Philostrato) vel certe : καὶ θάλπουσι τοῖς ἀφροδισίοις. Θάλπεται forte

quoque restituendum est Sophocli ap. Athen. Lib. XIII. p. 564. c. Sed de hoc tu videris. — L. VII. p. 287. οἱ μὲν τέττιγες, ὑποψαλλούσης αὐτοὺς τῆς ὥρας, ἐν ᾠδαῖς ἦσαν. Certa emendatio haec est: — ὑποψαλλούσης αὐτοῖς τῆς αὔρας. . . . . Expressit illustrem locum Platonis Phaedr. p. 337. B., unde tum alii hortulos suos irrigarunt, tum Aristaen. Lib. I. ep. 3. p. 24. ubi haec legas: τὸ ἔμπνουν τῆς αὔρας λιγυρὸν ὑπαλεῖ μουσικῷ τῶν τεττίγων χορῷ. Icon. Lib. I. p. 802. Καπανεὺς δὲ λέγεται κεραυνῷ βεβλῆσθαι, πρότερος μὲν οἶμαι κόμπῳ βαλὼν τὸν Δία. Egregius Codex Laudian. exhibet, πρὸς τὸν Δία. Unde mihi statim nata est haud contemnenda conjectura: — πρότερος μὲν οἶμαι κομπολακὼν πρὸς τὸν Δία. Quod dedi, confirmatur Icon. Lib. II. p. 855. Retinuit autem Philostratus Tragici verba, quem secutus est. Aristophanes Aeschylum ludens, Ran. v. 992. — ἀλλ' οὐκ ἐκομπολάκουν. Icon. Lib. 1. p. 804. ἕλκει τινα παρὰ τοῦ ἡλίου ὥραν, καὶ τῷ τῆς Ἴδης ἄνθει ῥαίνεται. Olearius hic more suo mirifice nugatur. Sed forte tu, ὦ φιλότης, jam dudum correxisti: καὶ τῷ τῆς σίδης ἄνθει ῥαίνεται. De σίδη vel σίβδη copiose Spanhem. ad Callim. Lav. Pall. v. 28. Uti hoc loco praecedens Σ absorbuerat sequens, sic idem mendae genus graviter afflixit alium locum Icon. 11. p. 828., ubi Pana narrat ὀρχεῖσθαι, καὶ ἐκπηδᾷν τοῦ προσπίπτοντος, ἐξαίροντα. Tu judicabis, Vir sagacissime, an quid tribuendum sit divinationi nostrae? — ἐκπηδᾷν τοῦ προσπίπτοντος, σεσηρότα. Supra pag. 794. ab eodem Philostrato Σατύροι describuntur σεσηρότες. Pluribus hanc conjecturam ornarem, nisi mihi tecum, id est, cum viro in his literis summo, res esset. Atque

haec hactenus. Cum superiori anno Amstelodami jucundissime unâ essemus, incidit quoque sermo de loco Platonis Sympos. p. 322. E., ubi uterque ex Timaeo ὄα restitueramus. Ex eo tempore hanc vocem passim alibi instauravi. Sed velim mihi explices locum Plutarchi Amator. p. 770 B. edit. Francof. ὥσπερ ὠὸν αὐτῶν τριχῇ αἱρεῖσθαι τὴν φιλίαν. Cum ὄον singulari numero nondum legerim, haud ausim hic restituere. Apud eundem Plutarch. de Solert. Animal. p. 967. F. locus occurrit valde impeditus; ubi si revoces ὄα, omnes dissipabuntur tenebrae· τὰς δὲ τῶν σπερμάτων διαθέσεις — ὑετοῦ ποιεῖται σημεῖον ὁ Ἄρατος (v. 957.)

Ἢ κοίλης μύρμηκες ὀχῆς ἐξ ὠέα πάντα
Θᾶσσον ἀνηνέγκαντο . . . . . .

καί τινες οὐκ ὠὰ γράφουσιν, ἀλλ' ἵνα τοὺς ἀποκειμένους καρπούς, etc. Xylander suspicabatur, Criticos illos in Arato legisse: — ὀχῆς ἔξω ἐὰ πάντα. quod leve est et ineptum. Omnino altera lectio haec fuit: — ὀχῆς ἔκτοσθ' ὄα πάντα. Quare ita refingas Plutarchum: καί τινες οὐκ ὠὰ γράφουσιν, ἀλλ' ὄα. quae is commode interpretatur τοὺς ἀποκειμένους καρπούς. Vel sic tamen aliquid scabritiei restat in sequentibus Plutarchi verbis, quam, quaeso te, mi optime Valckenaeri, pro singulari tuâ peritiâ abstergas. Certe si tibi per graviora negotia haud liceat reliqua examinare, haec tamen Plutarchi loca in gratiam meam excuties diligentius. Adderem jam nova quaedam, nisi vererer, ne te loquacitate meâ obtunderem. Facere tamen non possum, quin te laeto beem nuncio. Parisiis sumtibus meis describuntur Apollonii Dyscoli ἀνέκδοτα, eorum-

que particula jam in manus pervenit meas. Id tibi vere videor posse affirmare, ex his laceris Apollonii tabulis plus nobis de dialecto Aeolicâ innotescere, quam ex reliquis, quae supersunt, monumentis omnibus. Passim utitur auctoritate Alcmanis, Sapphûs, Parthenii, Anacreontis, etc. In iis, quae exspecto, saepe ad partes vocari novi Theocritum, aliosque Doricos poëtas.

Vidisti jam Tacitum Cl. Ernesti? Commentarius luculentus est, et Hemsterhusio nostro mirifice laudatus. Dionis etiam Cassii Tomus alter huc perlatus est; item Jablonskii Antiquitates Aegypticae. Abreschius dicitur supplementa Notarum in Aristaenetum Amstelodamensi prelo subjecisse: quorum desiderio non valde tenemur. Nam profecto is novis ineptisque argutiis Graecae linguae studium corrumpit, et impeditum reddit. Cum nuper ejus Aristaenetum accuratius excuterem, variae mihi, ut fit, subnatae sunt conjecturae, ex quibus pauculas hic deponam. Lib. 1. Ep X. p. 72. ed. Pauw. τὸν Μίδου χρυσὸν, οὐδὲ τὸν πάντα πλοῦτον. Reponendum: — οὐδὲ τὸν Ταντάλου πλοῦτον. Sic eod. Lib. Epist. 18 dixit Ταντάλε θησαυρός. Sumsit a Platone Eutyphron. p. 52. B. Ταντάλε τάλαντα legisti ap. Plutarch. T. 11. p. 759. et alibi Lib. 1. Ep. XV. p. 102. καὶ τὴν δεξιὰν ἀκοντὶ προσανατείνας. Multum hic aestuarunt Interpretes, nuper etiam Dorvill. ad Chariton. p. 33. Sed ne dubites, quin Auctor dederit, καὶ τὴν δεξιὰν νικῶντι προσανατείνας. Rursus N praecedens absorbuit sequens.

Lib. 1. Ep. XIX. p. 130. τὸ ἄνθος ἄωρον ἀποβαλοῦσα. Imo, τὸ ἄνθος ὡραῖον —

Lib. 11. Ep. IX. p. 232. τηλικῶς τὸν ὅρκον παρέβης. Acute, ut omnia, mi Valckenaeri, corrigebas, ἡλιθίως. Vide tamen, anne verius sit: παιδικῶς, *puerili more*. Hoc sane flagitat Epistolae contextus. Conf. Lucian. T. 1. p. 844.

Reiskius misit ad me non invitatus animadversiones suas MS. in Epistolam meam Crit. 11. Dii boni! quas ineptias opponit conjecturis meis. Neque mihi solum, sed et τῷ θαυμασίῳ impetus iste furiosi hominis esse videbatur. Abstinuit tamen, quod mireris, ab omni acerbitate verborum. Utinam cerulas tuas miniatulas videre licuisset! Commemoravit mihi quasdam ἐπικρίσεις tuas Piersonus noster: sed quas addideras dubitandi rationes, haud secum afferebat. Imprimis scire cupio, quâ machinâ ψευδνὸν νόον in Theognide defendas. Paene praeterieram, Reiskium in Anthologiâ inediti evulgandâ occupari. Utitur lacero et mendoso Apographo, ex quo nonnulla protrusit Leichius. Quis non doleat Meleagri, aliorumque ingeniosisimorum poëtarum sortem? Quid sceleris idem Reiskius in recensendo Wetstenii Testamento designarit, te jam ex aliis cognovisse arbitror. Sed non amplius te morabor. Ama me, mi suavissime Valckenaeri, tibique persaudeas, te a me mirabiliter amari. Salutat te Piersonus noster, cujus Verisimilia propediem sunt proditura. Dab. Leidae d. 21. Jun. 1752.

RUHNKENIO V. CL.

S. P. D.

LUD. CASP. VALCKENAER.

In *Antigones Euripideae fragmento dubito quid eligam, tuum eleganter excogitatum* Δεινός τε ϑ. *an meum* Μόνος τε ϑ. *Utrumque veritatis speciem habet, atque eo forte neutrum verum. Fieri potuit, ut versus exciderit intermedius,* Cum Veneris puero non male Bacche facis. — *Ab Antiopes fragmine recte repellis* διαστρέφεις, *e Philostrato jam edoctus* διαπρέπεις *genuinum esse; indidem* αἰσχρῶς *repetito, posueram,*

Αἰσχρῶς γε ψυχῆς ὧδε γενναία φύσις
Γυναικομίμῳ διαπρέπεις μορφώματι.

Clem. Alex. Paedag. III. p. 286. 1. ἁβροδίαιτον ἀπονειδίζων νεανίαν ὁ Σοφοκλῆς λέγει,

Γυναικομίμοις ἐμπρέπεις ἐσϑήμασιν.

Male vulgarunt ἐμπρεπεῖς νεάνιδα. *Tuum nunc* ἔχων *valde placet, neque minus in Platone supplementum. Nunc reliqua persequar eâ libertate, quam amico non denegabis. In Philostrato p.* 165 *ingeniose corrigis* αἰκαλλούσαι. *Corrigi quoque posset pro* καὶ πάλλουσι *non absurde,* καὶ πιαίνουσι τοῖς ἀφροδισίοις, οὓς ἂν ἐϑέλωσι δαίσασϑαι. *Paulo inferius* ἔμπουσα τε εἶναι ἔφη, καὶ πιαίνειν ἡδοναῖς τὸν Μένιππον ἐς βρῶσιν τοῦ σώματος. *Appulejus Met. V. in re simillimâ p.* 99 : blandis alimoniarum obsequiis te saginaturum omnes affirmant — (*deinceps*) devoraturum. — *Sophoclis,*

quem designas in Athen. p. 564. *C., locum ex Hippodamiâ sic emendâram, verene, an secus, tuum sit arbitrium* :

Εἰλάλεται μὲν αὐτὸς, ἐξοπτῷ λέ με
Ἴσον μετρῶν ὀφθαλμὸν, ὥστε, τέκτονος
Παρὰ στάθμην ἰσοῦντος, ὀρθοῦται κανών.

Simulatque (*solis instar*) apparet, exurit me (*Nosti* τὸν Λυκίλλαν ὀπτεύμενον ἐξ Ἀφροδίτας) rectis permensus oculis. — *Apud Hesych.* Εἰλάλεται, Ἰλάλεται *et* Ἰνλάλεται *reperiuntur.* — *Emendationi in Apollon. p.* 287 *si quid obniterer, illuc me amandares.* — *Icon.* 1. *p.* 802 *peregregium videtur* κομπολακὼν πρὸς τὸν Δία. *Sed nonne suspectum est in istis* εἶμαι? *Nimis enim arrogantia Capanei decantata, quam ut illud addi posse videatur.* — *Pag.* 804. τῷ τῆς σίλης ἄνθει *venustissimum. Sed p.* 828. *Panem* ἐξαίροντα *non attigerim, quem eodem sensu dicit inferius* ἀποτεταμένον τὸν καυλὸν, *sic* τὸν κόλπον *correxeram : nec displicet tamen inventum Piersoni nostri.*

Bina deinceps ponis Plutarchi loca, quorum priorem p. 770 *B. ego quoque retuleram ad istum Platonis e Phaedro, atque inde sic leviter emendâram,* τοὺς παιδικοὺς ἔρωτας σκώπτουσι λέγοντες, ὥσπερ ᾠὸν, αὐτῶν τριχὶ διαιρεῖσθαι τὴν φιλίαν, sicut ovum, sic eorum amiticiam pilo dissecari; *vagam nempe, non veram. Quando scribis, Vir elegantissime, mecum restituisse te Platoni* Ὄα, *sic tamen, opinor, judicas, in eodem loco* sorborum *fecisse Platonem et* ovorum *mentionem : Jupiter, inquit Plato,* ἔτεμνε τοὺς ἀνθρώπους δίχα, ὥσπερ οἱ τὰ Ὄα τέμνοντες καὶ μέλλοντες ταριχεύειν, ἢ ὥσπερ οἱ τὰ ᾠὰ ταῖς θριξὶν, vel quomodo

ova pilis intersecant, *ut recte vertit Thom. Gatakerus A. M. P. c. XLV. p.* 904. *A. In alterâ parte non cadunt* ova *in dubitationem; quorum in secundâ mensâ frequens apud Athenaeum mentio. Alexidis locus Lib. XII. p.* 516. Σ. *praebet* ὠὸν ἐπιτετμημένον· *alter ejusdem Lib. II. p.* 60. Β. ὠὸν ἡμίτομον. Ova secta *Martialis. — Is. Casaubonus de ovis multa praefatus Animad. L. II. c. XVI in fine. Legis, inquit, et* ταριχηρὰ *ova,* muriâ condita. — *In Platonis Symposio tantilli menda Casaub. et alios movit, ut rem absurdam comminiscerentur. Platonis* ὄα *vocantur* οὖα *e sermone plebejo Dioscoridi I. c.* 174, *ubi memorantur* οὖα-τμηθέντα καὶ ξηρανθέντα. *Galenus in Glos. Hippocrat.* Ὄα τὰ πρὸς τῶν πολλῶν οὖα καλουμένα. *De his nonnulla Stapelius praecipit ad Theophr. Hist. Plant. p.* 204. *A.: non pauca tamen tibi reliquit intacta. — In altero Plutarchi loco p.* 967. *F., pace tuâ, multo videtur Xylandi verisimilior conjectura, quam tua. Illam si probares, mox ratio pateret, cur iisdem literis scripta librarius omiserit. Sed obsecro te, mi Ruhnkeni, quid* Ὄα *faciunt ad formicas? Xylandro docte notata firmant vulgatam* ὤεα. *Vide tamen, quam non sit invenustum —* ὀχῆς ἔξω ἔα πάντα, sua cavis efferunt omnia, *non* ova *duntaxat, sed et* τοὺς ἀποκειμένους καρποὺς. — *Atque ita, serius quidem quam oportuerat, tempori tamen desiderio tuo satisfecisse videor. Quod si nihil forte horum, oris liberrimi tamen candorem collaudabis.*

Quae praeterea scribis, acciderunt jucundissima. Apollonii Dyscoli inedita opuscula tria quum in manus tuas devenisse nunciaveris, eris mihi χρυσὸν ἀγ-

γείλας ἐπῶν. *Quid illa complectantur e Sallierii literis intellexi, quas ad se datas ante hos* 12 *annos mecum communicavit Wetstenius, etiam nunc inter schedas meas latitantes. Tacitum Cl. Ernesti nondum vidi, sed utrumque jam accepi Dionis Cassii volumen, et Jablonskii Pantheum Aegypt., quo libello Theologum uspiam doctiorem prodiisse non opinor. A Cl. Ernesti mense Septembri literas accepi humanitatis plenas, ad quas citius, quam meus est mos, jam respondi* 2 *Octobris. Hae meae num recte Lipsiam pervenerint, hactenus ignoro. Rogatus quasdam iis interserueram in Callimachum observatiunculas, quas, si non nolit ille tuus, aliae quoque sequentur. Nostine Trajecti juvenem quemdam in Aethiopicis expoliendis occupatum? Mittam ad Wesselingium Vaticani Codicis collationem, quam e libro Leid. descriptam, dignam judico, quae ad Commelini notulas exigatur. Hunc Herodoti suscepisse tandem edendi curam laetus intelligo. Abreschii, quem memoras, nihil mihi adeo displicuit, quam Specimen Animadv. in Thucydidem. Tuae placent in Aristenaetum conjecturae. Qui per aliquot annos nihil ad Reiskium dederam literarum, grates agere coactus fui, quum Constantinum suum mihi dono misisset: iis in literis, quid sentirem de ipso, liberius exposui. Adeo Lipsiensem non exacerbarunt, ut Scholiorum in Euripidem ad me miserit exemplar, in quo Phoenissas potissimum spectantia ex Augustano Codice non protritis supplementis a viro docto sunt locupletata. Quod primum facere non destinaram, Scholia nunc subjiciam Euripideis. Eodem fasciculo Reiskius partem inseruerat Miscell.*

Lipsiens., Epigrammata quaedam complectentem ex apographo Lipsiensi non optimo. Miraberis tamen et hîc in Graecis Latine vertendis hominis sedulitatem. Insunt his etiam Epigrammatis venusta, quae cupide nunc primum legi. Horum in censum refero carmen 291. *p.* 114 *Vol. IX., ubi, quod et alias evenit, scriptio perversa versûs* 4 *fraudi fuit interpreti. In* εἶτ' ἀπό σου *litterae tantum erant suo loco collocandae* Εἶτα πόσου παρέσῃ; quo tandem pretio aderis? *interrogante puellâ R.* Μηδέν μοι προδίδου. *Genitivus iste solennis in talibus. Carm.* 314. *v.* 1. *cum* ἔχε *v.* 2. *fuerat conjungendus.*

Δραχμῆς Εὐρώπην τὴν Ἀτθίδα, μηδὲ φοβηθεὶς
Μηδένα, μήδ' ἄλλως ἀντιλέγουσαν ἔχε.

Plurima Reiskius reliquit in his intacta; quae nunc persequi non vacat. Vale, Vir Praestantiss. Piersonum nostrum saluta, meque ama.

CELEBERRIMO ATQUE AMICISSIMO VIRO,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Timaei Lexicon, quod fratribus Toulisiis tradere constitueram, mutato consilio, Luchtmanno excudendum dedi. Prius tamen, quam operae ejus exscribendi initium faciant, brevi emisso specimine, et tuum et aliorum, qui recte judicare possunt, sententiam eliciendam putavi. Nam si vobis uberior

illa commentandi ratio forte displicuerit, ad solitam brevitatem, re adhuc integrâ, redibo. Quo acriorem vero speciminis censorem egeris, eo majores tibi a me gratiae agentur. Nam, mihi crede, nemo me libentius monitori aurem praebet, et suis sibi inventis blanditur minus. Pag. 4. emendanda fuisset Hesychii glossa : Ἀγαλματικός. ἀκουστής. Sed nihil tum, quod se aliquâ specie commendaret, succurrebat. Vide, an legendum sit, Ἀγαλματοποιὸς ἐγκαυστὴς, qualem exhibet Marmor ap. Reines. class. IX. Inscr. LI. p. 569. Ubi consule virum summum. Pag. 5. a te, vir longe doctissime, edoceri cupio, quomodo in Sophoclis Fragm. capienda sit vox βιοδώροις. Equidem vereor, ne hîc corruptela lateat. Pag. 7. certiora mihi imperties de origine vocis ἄγος. Plures sunt in Timaei Lexico nodi, te vindice digni, quorum aliquos hic subjiciam. Ἀκταίνειν. γαυριᾷν καὶ ἀτάκτως πηδᾷν. In nostris Platonis exemplaribus te vocem non legisse puto : quam tamen suo tempore, praeter Timaeum, in Phaedone reperit Phrynichus Προπαρασκευῇ Σοφιστικῇ MS. Ἀκταινῶσαι σημαίνει μὲν τὸ ὑψῶσαι καὶ ἐπάραι καὶ μετεωρίσαι. Εἴρηται δὲ ἀπὸ τῆς ἀκτῆς τοῦ φυτοῦ, ἀφ' οὗ τὰ ἀκόντια τέμνεται· καὶ ἐπεὶ τὰ ἀκόντια εἰς ὕψος αἴρεται ἀφιέμενα, διὰ τοῦτο καὶ ἐπὶ παντὸς ὑψουμένου καὶ πηδῶντος μεθ' ὁρμῆς ἐτέθη τὸ ἀκταινῶσαι. Αἴσχυλος, οὐκ ἔτ' ἀκταίνω, φησὶ βαρυτόνως, οἷον οὐκ ἔτ' ὀρθοῦν δύναμαι ἐμαυτόν. Πλάτων ἐν τῷ Φαίδωνι, ὡς ἀπὸ περισπωμένου. Sed liquido tibi, ὦ φιλότης, affirmare possum, nullum in Phaedone locum reperiri, cui hoc verbum satis apte conveniat. Neque enim, quae eximia tua harum literarum est peritia, glossam referes ad pag. 398.

B. edit. Lugdunens. περὶ ἐκεῖνο πολὺν χρόνον ἐπτοημένη, καὶ περὶ τὸν ὁρατὸν τόπον πολλὰ ἀντιτείνασα καὶ πολλὰ παθοῦσα. Putem igitur Phrynichum scripsisse ἐν Φαίδρῳ, ibique glossam esse investigandam. Is enim dialogus plura habet insolentiora et paene dithyrambica, notante jam olim acerrimo Critico, Dionysio Halicarnassensi. Pag. 346. G. ζεῖ τε καὶ ἀγανακτεῖ καὶ γαργαλίζεται φύουσα τὰ πτερά. Quid? si hic restituas, ἀκταίνει. Sed forte Grammatici respexerunt pag. 342. E. ὁ δὲ ἀναγκάζεται διώκειν, ἀγανακτῶν καὶ ἐπιθεάζων. Hic olim, nisi fallor, legebatur — ἀκταίνων καὶ ἐπιθοάζων. Eâdem operâ corrigendus est Hesychius : Θοάζει. τρέχει. μαίνεται. σκιρτᾷ. κτείνει. Lege : ἀκταίνει. Sed haec tum demum mihi alicujus momenti esse videbuntur, si ea limatissimo judicio tuo probari intellexero. Inter difficiliores Timaei glossas refero, Ἀνεργήσει. ἀναδήσει, ἀναρτήσει, καὶ οἷον κωλύσει. Quam ex Timaeo in Lexicon suum retulit Photius, ex eoque Suidas, ubi male κολάσει. Sed confer Kusteri notam. Idem Timaeus : Διαδαξάμενος. τελέσας ὑπὲρ τι ἑτέρου διδασκάλου. Quam glossam neque ego intelligo, neque Cl. Hemsterhusius. Idem : Ἐπεσφάλακεν. οἱ μὲν, ἐπεσπάσθη. οἱ δὲ, ἐσάπη, ἢ παρὰ καιρὸν ἀτροφῆσαν ἐμαράνθη. Rursus conferendus est Suidas cum notâ Kusteri. Haec si tu, mi suavissime Valckenaeri, accurato examini subjeceris, et de me et de Timaeo praeclarum in modum mereberis. Ex Timaei Lexico pauci Platonis loci emendari possunt, propterea quod ipse auctor suam glossae sedem non adsignavit, et alius deinde male feriatus aliorum admiserit glossas. Sed tanto plus medelae Philosophus exspectat ab altero

Lexico Platonico, quod scriniis Vaticanis continetur, et cum maxime describitur in usus meos. Hujus mihi indicium fecit Eminentissimus Cardinalis Quirinus : Neque indicasse satis habuit, sed statim ejus specimen, Cl. Assemanni manu descriptum, incredibili humanitate ad me allegavit. Anonymus Lexici auctor, a Boëtho et Timaeo plane diversus, eâ in glossis explicandis usus est ratione, quâ nulla melior ad emendandum Platonem excogitari potest, secutus scilicet ordinem librorum, quo in plerisque MStis leguntur, posthabitâ serie alphabeticâ. Eodem Codice Vaticano continentur duae Platonis Epistolae necdum editae, quarum itidem mihi copiam facturus est humanissimus Cardinalis. Quae etiamsi spuriae reperiantur, vel sic propter insignem antiquitatem in lucem proferri merentur.

Forte jam ex publicis schedis intellexisti, Academiam Regiam inscriptionum et elegantiorum literarum me honorifico decreto inter socios suos cooptasse. Atque utinam vel partem aliquam praeclarae illius dialectorum, Laconicae inprimis, peritiae, quâ tu tantopere excellis, in me derivare possem! sic enim haud deprecanda fuisset provincia, quam iidem viri Clarissimi mihi demandarunt, ut trecenta Marmora Laconica a Fourmontio ex Graeciâ in Academiae Bibliothecam illata ederem, notisque explicarem. Quae eximia antiquitatis monumenta quantum et rebus Laconicis et Graeciae universae lucem allatura sint, ex uno eorum cognoscas, licet, edito et illustrato ab Eduardo Corsino Dissert. V. post notas Graecorum. Paucula ex iis jam olim dedit Cyriacus

Ancomitanus Epigrammat. p. 38. seqq. Juvat unum horum titulorum adscribere, teque conjecturae haud vanae fortasse arbitrum capere. Pag. 40.

ΔΑΜΟΚΛΕΙΔΑΣ. ΧΑΛΕΑ. ΕΠΙ. ΑΛΚΙΠΠΟΥ. ΝΕΙΚΑΣΑΣ.
ΤΟ. ΠΑΙΔΙΚΟΝ ΚΕΛΗΔΑ. ΤΡΕΜΙΤΙΟΡΘΕΙΑ

Eandem inscriptionem repetiit Murator. pag. DCXLV. nihil tamen extricans. Recte Corsin. Diss. V. p. 94. media verba interpretatur : *victoriam adeptus inter pueros celete.* Sed idem fallitur, cum sub ultimo monstroso vocabulo artificis nomen delitescere putat. Tu mecum rescribes :

ΚΕΛΗΤΑ. ΑΡΤΕΜΙΔΙ. ΟΡΘΕΙΑΙ

Subintelligendum, ut passim in marmoribus, δῶρον ἐχαρίσατο. Diana ὀρθία vel ὀρθωσία, et διαμαστίγωσις Laconicorum juvenum ad ejus aram satis tibi nota est ex veterum monumentis. Cf. Fabric. ad Sext. Empir. Hyp. III. 24. p. 179. et Davis. ad Cic. Tusc. Disp. II. 13. v. 27. Apud Murator. p. DCXLVIII. 2. hic occurrit titulus cum nostro conferendus :

ΖΩΙΛΟΣ. ΖΩΙΛΟΥ
ΠΥΘΙΑ. ΝΙΚΗΣΑΣ
ΘΕΟΙΣ.

Clar. Muratorius interpretatur : *Zoilus Zoili filius Pythiorum victor Diis faventibus.* Sed et hic subintelligendum, δῶρον ἐχαρίσατο, vel ἀνέθηκε, vel simile verbum. Corsini cum modo facta sit mentio, libet hic apponere partem marmoris, cujus levis macula viro admirabili in his literis sagacitate praedito tantas tenebras objecit, ut prope ad ineptias delapsus sit. Gorius Inscr. Ant. Tom. I. p. 371.

ΡΟΥΣΚΙΝΟΣ ΠΡΟΚΟΥΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΠΑΤΗΡ ΚΑΙ ΤΑΩΝ ΜΗΤΗΡ ΑΙΓΥΠΤΙΟΙ ΕΠΟΙΗΣΑΝ ΛΟΙΠΟΝ ΜΕΝΟΣ.

Titulum hunc parentes defuncto filio posuerunt. Quae ad duo postrema verba Corsinus de Not. Graec. p. 59. commentus est, prorsus mira sunt, et longiora, quam ut huc referantur. Si scripseris ΛΥΠΟΥΜΕΝΟΙ, omnia luce erunt clariora.

Quae ultimis literis tuis de Reiskio narras, nobis et nova et inexspectata acciderunt. Mallet tamen Hemsterhusius noster, te omni cum homine commercio abstinere. Nam qui nunc ad te literas dat demisse et humiliter scriptas, brevi te, qui ejus mos est, publice vexabit, et calumniis petet. Scripsit etiam ad me epistolam, si verba spectes, humanissimam. Sed nihil responsi tulit; nec quicquam mihi notitiae cum perfidâ bestiâ esse volo. Anthologiam ab eo editam, tibi auctor sum, semper pro ineditâ habeas. Nam ex futilissimo Apographo meras quisquilias prodire necesse fuit. De gravissimis scripturae vitiis ne dicam, saepe integra disticha sunt omissa, aliqua etiam, non monito lectore, interpolata. Id quod mihi satis constat ex Apographis duobus, Scaligerano et Vossiano, quibus nuper Ampl. Meermanni beneficio accessit tertium Salmasianum.

Thalelaei mei exemplar primâ quâque occasione ad te mittetur. Meum vero erga jus civile studium, ex quo duo barbari homunciones mihi praelati sunt, ita refrixit, ut prorsus constituerim omne tempus, quod antea jurisprudentiae dedi, Latinis literis et Historiae veteri tribuere. Accedit, quod prima juris

civilis professio, quae vacare inceperit, nuper a Celsissimâ Principe jam promissa sit Jungio cuidam, Principis Walliae antea praeceptori, Hagae Comitum degenti.

Quod superest, etiam atque etiam a te, Vir amicissime, peto, ut, quam saepissime poteris, ad me scribas. Quidvis enim malo, quam literarum tuarum fructu carere. Piersonus noster, depulsâ febri, pristinam valetudinem recuperavit, teque quam officiosissime salutari jussit. Bene vale, amicorum decus, et mihi, quod facis, fave. Dab. Leidae. d. 24. Januar. 1753.

DAV. RUHNKENIO

S. P. D.

LUD. CASP. VALCKENAER.

Nuperis, *quas ad me dedisti literis, nihil mihi poterat accidere jucundius. Nam Piersonum, cujus me vix credas quantopere sollicitum habuerit attrita valetudo, Piersonum* τὴν ἀρχαίαν φύσιν *recuperasse scribis, Tibique munus obtigisse per sanequam honorificum. Praeterea mittis Timaei specimen te dignum: atque ista tot bona tandem Epistola complectebatur prorsus Musica: quâ tamen, ne nihil putes desiderari, mallem omisisses, quae scribis de Lipsiensi. Timaeus ille tuus sic illuminatus, harum rerum studiosis, noli dubitare, quin placiturus sit. Quod de Casauboni commentario in Persium dicebat Scaliger, in tua poterit transferri. Mihi quoque,*

quam te secutum laetus mirabar, uberiorem illam non improbari commentandi rationem ex adnotationibus in Phoenissas intelliges, quas, tandem ad finem usque descriptas, praelo paratas habeo, nunc occupatus in Scholiis ex Augustano Codice, quae minimum sunt 200 *inedita, optimae notae non pauca. Quod in istis tuis ad Timaeum reprehenderem, nihil invenio. Sed cur obsecro statuis exscripsisse Platonica Pempelum? Ego contra statuo facinus illud imputandum Platoni, quem operâ Dionis sui Philolaïca constat accepisse, commentarios Ocelli ab Archytâ. His atque aliis nimis diligenter et Timaei quidem Locri libello Platonem usum prorsus constat. Paene, necdum tamen, persuades* Ἀτάλματα *sollicitandum in Hesychio. Sicut ἡ τρίγλα dicitur* Ἀρτέμιδος ἄγαλμα, *sic* canem *Euripides vocat* Ἑκάτης ἄγαλμα. *Hujus versum Plutarchus servavit De Is. et Osir. p.* 166, *ut* canem *ostenderet fuisse* ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος ζῶον. *Ad* Ἄγαμαι *tentas Platonem. Vereor, ut* γανυσθέντες *approbare possis viro summo.* Γανωθῆναι *invenisse potuisti, non item* γανυσθῆναι. *In altera Platonis loco ad* Ἀγείρουσαν *vide num magis placeat altera lectio* ἀγείρουσαν — βίου δῶρα, *Henrico Stephano commemorata in notis. Sicubi ducem alicubi Plato dixerit* Ἀγὸν, *hoc dedisse Timaeum suspicareris, non* Ἀγίαν: *atque istum usum e Platone me putabam annotasse, sed locum frustra quaesivi. Quas in Epistolâ ponis tamquam difficiliores Timaei glossas,* Ἀνεργήσαι, Διαδαξάμενος, Ἐπεσφάλακεν, *mihi quidem multo facilius erit integritati restituisse, quam singularum veram sedem demonstrasse.*

Ut inde ordiar, ὁ διδαξάμενος *si litteram demas superfluam, non obscurum erit*: Διδαξάμενος, πολύστιχά τι ὑπὲρ ἑτέρου διδασκάλῳ. *quae totidem litteris scripta Suidas eadem adnumerat. Timaeus tuus alibi in* Ἐδιδάξω, Ἐδιδαξάμην, ἐπαιδευσάμην δὲ ἑτέρου, αὐτὸς ἐπιμελήθεις τούτου. *Ammonius* Ἐδιδάξατο ὁ πατὴρ συστῆσαι. *optime: filium praeceptori* συστῆσαι καὶ διδάξασθαι *permutantur in Platonis Theage p.* 122. *F. Forsan in Protagorâ participium invenies. Loca Kustero designata non vacat exquirere. Plato Meno T. II. p.* 93. *D. Themistocles* — τὸν υἱὸν ἱππέα μὲν ἐδιδάξατο ἀγαθόν· *haec in Aeschinis, qui dicitur, Dialogum transsumta hinc excitat Tib. Hemsterh. in Argum. Plutii p.* 4. *De hoc* Attico *usu verborum mediorum* διδάξασθαι *et* παιδεύσασθαι *qui egerunt, plures excitantur in notis ad Hesych. T. I. p.* 1306. *n.* 16.

Ad Ἀνεργήσαι, *quod praeterea ponis, facile remedium admovi*: ησ *et* κσ *vel* ξ *quis te melius novit frequenter a librariis permutata? Redeat itaque* Ἀνέρξει, ἀναδήσει, ἀναρτήσει καὶ οἷον κωλύσει. *Ultimum in* Ἀνέργειν, Ἀνέργει, Ἀνεῖργον *praebet Hesych., cui pro* Ἀνέργει *restituendum arbitror* Ἀνέρξει. Συνέργειν *adhibuerunt Sophocles et Plato: hujus etiam est* σύνεργος. *Hanc si probas medicinam, eamdem admovere mecum non noles Euripidis e Bacchis v.* 466.

Διόνυσος ἡμᾶς εὐσέβης, ὁ τοῦ Διός.

qui, Dii boni! quantum nobis in Miscell. nugarum protulit. Inspice vicina; fateberis corrigendum,

Διόνυσος ἡμᾶς ἐξέπεισ', ὁ τοῦ Διός.

Tandem Ἐπεσφάλαχεν *vide num possit in* Ἀπεσφα-

κίνησιν commutari, quod apud Hesychium et Suidam invenies cum interpretamentis partim iisdem. Hic forte cotis vice fungar. Platonis Timaeo p. 48. B. ὅταν οὖτοιν — ὑπ' εὐρῶτος θερμαιόμενον, σφακελίσαν, convenit postrema Timaei explicatio: posuerat eodem sensu Plato p. 74. B. Glossae veram sedem utinam eâdem probabilitate designares, quâ rarissimum illud ἀπταίνειν vel ἀπταιῶν restituisti.

Lexicon alterum Platonicum e membranâ descriptum Vaticanâ quum acceperis, fac me illico quaeso, certiorem, ut gaudium illud tuum gaudeam. Quod ejus auctorem secutum scribis institutum, meritum fuit Grammaticorum plerorumque, perutile sanequam, atque, ubi fieri potest, restituendum. Hoc modo concinnârat Onomasticon etiam suum Eusebius, quod miserum in modum distraxerunt Bonfrerius et Clericus. — Quinimo laetissimus intellexeram, Parisinos tamen pretium statuisse tuis meritis: duplex illud munus equidem ex animo tibi gratulor et literis. De Laconicis inscriptionibus, quas a Fourmontio perhibebant in Galliam delatas, rumorem saepe dubium audiveram. In tuas tantum thesaurum manus deventurum laetor, quam qui maxime; necdum enim devenisse suspicor. Specimina, quae ponis, perplacuere; minus placet Cyriaci Anconitani nomen male ominatum.

De Reiskio quid adeo scribere potuerim ultimis literis, nunc non commemini. Sed illud novi, quae tu scribis, mihi accidisse mirifica. Priusquam quidpiam a me literarum accepisset, dono mittit Constantinum. Nonne postulabat humanitas, ut homini grates

agerem? Sponte suâ offert et mittit nondum rogatus Scholiorum in Euripidem exemplar Hervagenianum, ex Cod. Aug. ab homine quodam doctissimo emendatorum, et insignibus augmentis ditatorum: ne tibi quidem Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα *videbuntur, ubi cognoveris, quot nova Codex ille August. complectatur. Si Codex te doceret* armorum nitorem *Euripidi dictum* ὅπλων ἀγάλματα, *non sperneres opinor*: arvum genitale *dictum in Phoen. v.* 18. ἄλοκα: *Empedocles Physicus, teste Scholiaste,* φησὶν, Ἔχεις τοὺς λιμένας Ἀφροδίτης: *jam vide mihi Cod. Aug. lectionem,* φησὶ, σχιστοὺς λιμένας: *tibi, homini pervenusto,* σχιστοὺς λιμένας Ἀφροδίτης *non displicuisse confido. Egone centena talia repudiarem, quia Reiskius ista complectentem Codicem obtulit utendum?* Εὐφήμησον. *Plura nunc addere non vacat. Prae omnibus salutabis meo nomine Virum summum, cui literas jam dudum debeo: praeterea Cel. Albertum et Piersonum meum, cujus ut bona perennis sit valetudo, voveo.*

Dabam Franequerae d. 12 *Febr.* 1753.

CELEBERRIMO AMICISSIMOQUE VIRO,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Accidit nescio quo modo, ut aliae ex aliis occupationes mihi ad te scribendi facultatem per plures menses eripuerint. Sed, quae tua est humanitas,

mihi ignosces, putabisque, nunquam meam ab officio voluntatem, licet opera non extiterit, esse abductam. Mitto ad te exemplar Ictorum Graecorum, a me editorum, serius fortasse, quam par est. Verum constitueram iis aliquot Timaei plagulas adjicere, quae nauseam, istorum barbarie commotam, depellerent. Timaei vix dimidia pars profligata est. Unde, inquies, ista mora? Nempe adjutore utor eo, qui cunctando rem restituere solet. Si in tempore ad me perveniat Lexicon Platonis Vaticanum, nostro subjicietur, brevibus notis illustratum. Sin minus, ad aliam occasionem reservabitur. Quantum ex specimine ad me misso judicare licet, multis partibus praestat Lexico Timaei. Pag. 63. obscurior est glossa διπλοῦν, quam mihi, nisi grave est, velim explices. Satius fuerat, in textu scribi διπλόην, et mox ῇ pro ἤ. Sed quia mihi in ceteris haud satisfaciebam, Codicis lectionem integram servavi. Platonis locum imitatus est Plutarchus Pericl. p. 158., sed emendandus, nisi fallor. Ἡ μὲν γὰρ ἐξ ἀρχῆς διὰ πλόκῃ τις ὕπουλος, ὥσπερ ἐν σιδήρῳ, etc. Lego, διπλόη. Recte idem Reip. ger. praecept. p. 802. B. καὶ διπλόας ἐν σιδήρῳ μαλάσσων καὶ καταλεαίνων. Apud Aelian. de Anim. IX. 4. reperio κέντρου διπλόην. Sed de his tu mihi, Vir sagacissime, multo certiora imperties. Pag. 22. Ἀνατείνας τὴν ψυχὴν, vide, an recte referam ad Polit. VII. p. 488. B., ubi hodie minus eleganter legitur: καὶ τῷ ὄντι ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινί τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον ἠρέμα ἕλκει καὶ ἀνάγει ἄνω. Timaeus igitur reperit ἀνατείνει. Nam ἀνατείνας memoriae lapsus est, ei quidem in glossis excerpendis frequentis-

simus. Euripidis Phoenissas, a te artifice summo expolitas, ecquando videbimus? Vix credas, quanto earum tenear desiderio. Apollonii Dyscoli Grammatica inedita magnam partem jam est in manibus meis. Reliqua breví exspecto. Excellens hoc veteris aevi monumentum apud te laudare, supervacaneum est. Apollonio haud pauca surripuit Scholiastes Dionysii Thracis MStus. Sic ea, quae ad Ammon. p. 201. protulisti, ad verbum descripsit ex Apollonio, ubi recte legitur Μένανδρος ἐν Ὑμνίδι, sicut in Animadv. conjecisti. Bene vale, dulce nostrum Musarumque decus, mihique amorem in me tuum perpetuo conserva. Dab. Leidae. d. 18. Februar. 1754.

VIRO EXCELLENTISSIMO,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Non poteras gratiori me munusculo beare, quam Phoenissis a te expolitis. Exspectabam a te summo artifice opus quiddam Phidiacum. Neque mea me opinio fefellit. Tanto enim ingenii acumine depravata emendas, tantâque Graecae linguae et antiquitatis peritiâ obscurissima quaeque illustras, nihil ut ad perfectum absolutumque commentarium deesse videatur. Utinam juvenis sagacissimus, qui integrum Euripidem edendum suscepit, vestigia tua vel e longinquo subsequeretur. Sed ille praejudicatis An-

glorum opinionibus imbutus, praeter variantium lectionum vim nihil dabit, nisi nudas conjecturas, dictatorio verbo, *Lege, Repone*, si Diis placet, confirmatas. Equidem exemplar Phoenissarum, quod ejus nomini inscripsisti, ad eum perferendum curabo, vel ipse praesens praesenti in manus tradam. Nam ultimis literis eum excitare conatus sum, ut Oxonio huc veniret, et de Euripide edendo tecum in consilium iret : a quâ sententiâ, cum Parisiis degeret, haud alienus videbatur. In Galliâ, quod felix faustumque sit, Graecarum literarum studium renascitur. Itaque homines elegantes nihil jam aeque flagitare videas, atque veterum Tragicorum editiones. Quorum desiderio obsecuti librarii, a Sophocle imprimendi initium fecêre. Huic editioni Cl. Capperonnerius adjiciet Scholia inedita, et Vett. Codd. lectiones. Plutarchi etiam editio Parisiis paratur Academicorum industriâ : quem in finem omnes Galliae et Italiae bibliothecae sunt excussae. Superest, ut spolia literaria, quae ex Galliae bibliothecis reportavi, breviter tibi designem. Sunt illa sane ejusmodi, ut splendidissimum Graecis literis et antiquitati omni lumen afferre possint. Nec unquam me poenitebit, tantum aeris et temporis ad hos thesauros colligendos impendisse. Reperi autem (quod in magnâ felicitatis parte pono) eruditos Gallos, uno Monacho excepto, studiis meis adeo faventes, ut vel ad nutum omnium bibliothecarum fores mihi paterent. De Regiâ bibliothecâ nihil tam magnifice dici potest, quod non ejus praestantia superet. Ac satis constat ex immenso illo catologo, nuper vulgari

coepto, nec Vaticanam illam tantopere celebratam, nec Vindobonensem ad ejus dignitatem accedere. Ἀνέκδοτα vero, quae reportavi, haec sunt :

1. Lexica Coisliniana omnia, praetermissis duobus, quae maximam partem cum Suidâ conveniebant. Haec partim ipse descripsi, partim Graece doctissimus et accuratissimus Capperonnerius.

2. Scholia vetera in septem Platonis Dialogos. Si nullum alium ex itinere meo fructum retulissem, hoc uno me felicem beatumque praedicarem. Non est, mi Valckenaeri, Scholiastes, si ab Aristophanis et Apollonii Rh. Criticis discesseris, qui cum hoc vel antiquitate vel reconditâ eruditione comparari possit. Ex eo cum multa alia discimus, tum hoc quoque, non fuisse Platonem Sophocli tam infensum, quam uterque nostrûm putabat. Profert enim nonnulla ex dramatis deperditis, quae Plato, Sophoclis admiratione ductus, sua fecerit, et proverbii sit honore dignatus.

3. Aratus cum MS. collatus a Claud. Salmasio.

4. Orionis Thebani Ἐτυμολογιῶν Epitome. Opus luce dignissimum : quamvis magna ejus pars in Etymologico M. reperiatur.

5. Homeridarum Hymni cum duobus MSS. collati.

6. Excerpta ex Glossariis ineditis bibl. Regiae, Sorbonensis, etc.

7. Henr. Valesii Emendationes MSS. in Libanium.

8. Orphica Poëmatia cum MSS. collata.

9. Excerpta ex Dracontis Stratonicei (de quo v. Suid.) libro inedito περὶ μέτρων ποιητικῶν ad filium Posidonium.

10. Erotianus cum duobus MSS. collatus.

11. Antonini Itinerarium cum quatuor MSS. collatum. Dono mihi dedit vir longe doctissimus, Melotus.

12. Theocritus cum MS. collatus. Is Codex habet Scholia inedita in VII. priora Idyllia, quibus nihil vidi eruditius. Multa ibi afferuntur ex Sophronis mimis.

13. Excerpta ex Proclo in Cratylum, Parmenidem, etc. item ex Olympiodoro in Philebum.

14. Scholiastes in Iliada ἀνέκδοτος. Dubito, an hic eruditione cedat egregio illi Leidensi. Certe accuratius, quam vel Eustathius vel Scholiastes Minor, diversas notat veterum Criticorum in Homero lectiones.

15. Apollonii Dyscoli Grammatica inedita. Hujus praestantiam ex editis excerptis nosti.

16. Excerpta ex ineditis Commentariis in Hermogenem. In his sunt aliquot Longini de antiquis scriptoribus judicia, quae alibi frustra quaeras. Illorum mihi copiam fecit Medicus Regius Graece perdoctus, Falconetus.

17. Procli Introductio in Hesiodi Ἔργα, quae in Heinsianâ editione desideratur. Multa in hoc opusculo traduntur ad veterem historiam literariam pertinentia. Item Hesiodus cum MS. collatus et Aristophanis Grammatici in eum argumenta.

18. Phrynichi Dictionum Atticarum Epitome, ab eâ, quae extat, diversa.

19. Pollux ab Em. Bigotio cum MS. collatus.

20. Athenaeus collatus cum Epitome MS., Casau-

bono haud visa. Item Claudii Salmasii egregiae in totum opus Animadversiones MSS. et variantes Codicis Palatini ab eodem in margine notatae.

21. Anthologia cum edita, tum inedita cum notis Salmasii. Utramque aere comparavi.

22. Herodiani, aliorumque Grammaticorum tractatus varii MSS.

23. Alciphron collatus cum duabus vetustissimis membranis. Harum ope venustus scriptor ita augeri atque emendari potest, ut prope alius videri queat.

24. Harpocration cum MS. collatus. Hunc aere comparavi.

25. Ammonius cum MS. collatus. Hic Codex recens est, nec optimae notae. Sed omnium MStorum vicem facile supplet Etymologicum MS. in membranâ perantiquâ, ab edito diversum, cui vetus compilator inseruit integros Ammonii et Ptolomaei Ascalonitae de differ. verborum libellos. Hujus ope, si quando altera editio danda est, plane alium nobis Ammonium dare poteris, magisque, ut puto, genuinum. Ex Scholiis autem Platonis, aliisque Grammaticis necdum editis mihi innotuit, falso hunc librum Ammonio tribui, longeque alii Grammatico esse vindicandum. Quâ de re fortasse disputabimus ad Scholia Platonis.

26. Philostratus cum MS. collatus. Vix putem, antiquiorem hac praestantioremque Philostrati membranam Europae bibliothecis contineri. In Iconibus praesertim, ne de eximiis lectionibus dicam, passim integrae ejus ope periodi suppleri possunt.

27. Scholiastes Dionysii Periegetae ineditus. Multa

tradit ex Callimacho, Parthenio, Euphorione, etc., quorum ne γρὺ quidem apud Eustathium.

28. Apollonius Rhodius collatus cum MS. egregio, qui unum alterumque etiam versum supplet, in vulgatis deficientem. Sed Scholia quoque habet multo et auctiora et integriora vulgatis. Certe tanta tamque infinita in singulis prope verbis lectionis est varietas, ut eam margo non caperet. Itaque integrum Scholiastem describere sum coactus. Utinam juvenis aliquis ex disciplinâ tua existeret, qui hoc Scholiaste edendo sibi iter ad famam muniret.

29. Geoponici Graeci cum tribus MSS. collati a Barnabâ Brissonio. Hos aere comparavi.

30. Achilles Tatius cum MS. collatus. Emi in auctione publicâ.

31. Minucius Felix cum MS. collatus et emendatus manu Petri Danielis. Hunc quoque emi in auctione publicâ.

32. Nonius Marcellus. Ingeniosissimus ille Jos. Mercerus post promulgatam secundam Nonii editionem, tertiae edendae consilium cepit. Itaque plures MStos, quorum antea non habuerat copiam, adhibuit, et multa vel correxit acute, vel explicuit erudite, eaque omnia ad prelum paravit. Hae chartae, ipsius Merceri manu scriptae, faustis avibus, in manus meas inciderunt.

33. Ivo Villiomarus adversus Titium, auctus et emendatus ipsius Scaligeri manu.

Habes, Valckenaeri amicissime, brevem illorum indicem, quae magno sumtu, nec minore labore, mihi in Galliâ comparavi. Praeter haec, quindecim

circiter Auctores Latinos, ab eruditissimis Galliae viris olim, vel emendatos, vel cum MSS. collatos, item ingens volumen Epistolarum Valesii, Fabroti, Menagii, etc. in auctionibus publicis coëmi. Quorum pretium cum opes meas excederet, omnia lubens concessi Amplissimo Meermanno. Verum et me scribendi et te legendi taedium capit. Itaque Vale, Virorum praestantissime, et me, quod facis, ama. Dab. Harlemi d. 13 Jan. 1756.

DAV. RUHNKENIO

S. P. D.

LUD. CASP. VALCKENAER.

Jam dudum significasse debueram, sic me literarum, quibus me tandem beasti, delectatum fuisse venustate, nihil ut iis accidere potuerit huic homini jucundius. Felicem te, mi Ruhnkeni, qui tam opimis spoliis onustus ad Batavos redieris: atque utinam hi dignum tuâ tibi virtute theatrum quantocyus assignarent, in quo merita tua clarius etiam exsplendescerent, tuque vacuus ab aliis curis tot cedro dignissimis operibus elucubrandis invigilares. Phoenissas placuisse laetor: in laudibus modum superantibus amicum agnosco, et, ut sumus ingenio, fero libenter. Alterum exemplar, non dubito, quin dudum curaveris ad Musgravium in Angliam deferendum: neque enim, si vel esset aliquando fortasse venturus, exspectandus ipsius erat in has terras adventus. Siccine vero triginta Codices is Euripideos

Parisiis adhibuit? Quod scribis renasci literarum in Galliis studium laetor, quam qui maxime: illud vel inprimis, Plutarchi novam ab Academicis editionem parari. Utinam Codices adhibeantur, e quo de centenis aliquae possint expleri lacunae. Si hoc pede perrexerint, pristinum nomen Galli recuperabunt, dudum obliteratum. Si peritâ manu Codices tractabuntur Sophoclei, Parisinam editionem magno nobis usui fore hariolor. Quoties leyo tuum illum elegantiarum catalogum, quem in literis dare dignatus es, toties mihi plane persuadeo, neminem unquam ex eruditis in Galliam venisse, qui possit ullâ parte ad Ruhnkenium comparari. Inter septem Dialogos, in quos scripta sunt eximia illa Scholia, an et Hipparchum numeras, Socratici quidem perdoctum opusculum, non tamen, ut equidem puto, Platonis? Miror, quod ais illinc etiam te didicisse non fuisse Platonem Sophocli adeo infensum: quo plura Sophoclis sua fecerit Plato, eo mihi magis animus in illum minus propensus patefieri videretur. Aeschyli loca excitans et Euripidis, hos, ut probe nosti, saepissime nominare dignatur: Sophoclis omnino bis tantum facit neque adeo honorificam mentionem. Sed Plato quid de te tantum fuit commeritus, ut commilitonem illo haud paulo meliorem virum, Xenophontem, Parisiis non videaris respexisse? Socratis sanctissima disciplina e Xenophonte petenda, non a Platone. Cum Socraticis, mi Ruhnkeni, consuevi satis familiariter. Eja, age, si quid habes, quod Epistolis Socraticis sanandis, quod Xenophonteis inservire queat expoliendis. Codicis vetusti, ab

Allatio non adhibiti, qui Socraticas contineret epistolas, lectiones diversas magni remederim : has tu forte per mercenarium quemdam monachum comparare mihi posses. Vidistine forsan et Zonarae quoddam lexicon Xenophontea quoque continens? Leidae prostant excerpta quaedam, quae Stephanum a se accepta non reddidisse queritur sub finem Appendicis Leunclavius. Auctor Lexici Zonaras idem, qui conflavit Annales, atque in iis praeter caetera transscripsit Xenophontis κ. π. *partem insignem. Commemini inter libros Haverkampi fuisse Xenophontis edit. Basil., ad MS. Cod. exactam, scin' ad quem illa pervenerit? Grande quoddam Lexicon est inter libros Bongarsi Bernae. nomen praeferens Io. Damasceni : in illo v.* Αὖθις *legitur,* οὕτως Ἀμμώνιος ἐν τῷ περὶ Ο. κ. Δ. λέξεων τοῦ Πολιτικοῦ λόγου τοῦ Πλάτωνος διαλαμβάνει. *Suspicor Etymologicum illud Parisinum MS. simile Antverpiano, a quo transscriptus Codex Trajectinus, quem Ammoniana quoque continere nosti : sed quae sunt in Ammonio prae caeteris bona, an et illis illuminandis opem fert tuus ille Codex? Eruditiora passim in Trajectino desunt. Libenter a te discemus verum utilissimi libelli patrem. Benigne tu quidem optas, ut quis e disciplinâ nostrâ prodeat, qui Scholiis in Apollonium Rhodium possit admovere manum, quae tanto tuo labore tibi descripseris :* ἀλλὰ ταῦτα μέν ἐστιν εὐχαί. *Ardor ille, quo ferebantur in literas nostrates, magis ac magis in dies sufflaminatur : vereor equidem, ne barbaries hîc etiam imperium obtineat. Non optimae quidem frugis, nec prorsus tamen abjiciendum Corinthi, qui dicitur, de*

Dialectis libellum, qualem e Leidensi libro descripsi, juveni cuidam nostrati tradidi, quem brevibus notis instructum aliquando curet typis describendum. Si quid habes istius generis non magni momenti, quo carere non nolis, poteris et huic et mihi mittendo gratificari : verum Scholiis ad Apollonium edendis prorsus est impar. Codices, quos adhibuisti, Erotiani praebentne Sophoclea vulgatis meliora? His nihil adfert opis collatio in Miscell. Cod. D'Orvilliani. Parisinae λέξεις *Herodoteae quid, obsecro te, praebent novi ad v.* Εἰρήν. *Videbar mihi latitans glossae cubile detexisse. Quum evulgaveris in Platonem scholia, pervelim ut scholiis in Theocritum manum admoveas : in Homerum optima continebat etiam liber, quem putabam Wetstenianum : vellem inde plura mihi descripsissem. Miror quod scribis de Alciphrone. An et ineditas isti Codices praebuerunt epistolas? Duas tresve reliquit Berglerus in Apographo, quem a patruelí meo commodatum habet etiamnum ὁ πάνυ Leidae, praeterea Palatini Codicis lectiones non vulgares possidens. Plura nunc non addam. Vale, vir amicissime, meque, quod facis, ama. Dabam Franequerae d.* 29 *Martii* 1756.

VIRO CELEBERRIMO,

L. C. VALCKENAERIO,

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Pergratum mihi est, quod ex literis tuis omni suavitate refertis intellexi, discipulum quemdam tuum in Gregorii de Dialectis libello edendo versari. Nam non dubito, quin juvenis ille, quisquis sit (nomen significare neglexisti) sub auspiciis praesertim tuis, egregiam huic Grammatico operam sit navaturus. Ipse quoque partem Gregoriani libelli, vulgato auctiorem, ex codice Regio mutilo descripsi, eamque contuli cum alio MS. Regio, mutilo et ipso. Ex quibus si quid utilitatis in novam editionem redundarit, satis magnum laboris fructum mihi cepisse videbor. Duae inprimis editiones doctissimo juveni conferendae sunt; altera princeps in Aldi Cornu copiae vel Hortis Adonidis : altera post Lexicon Graeco-Latinum Basileae 1541. in fol. edita. Xenophontis Codices non excussi in Bibl. Regiâ, facturus fortasse anno insequente. Parisiis enim in posterum vacationes transigere constitui. Sed est penes me Leunclavii editio a viro docto collata cum codd. R. et F. id est, ni fallor, Regio et Florentino sive Fuldensi. Has Variantes ante biennium communicavi cum Clar. Ernesto, omnium Xenophontis operum editionem cum maxime parante. Is neminem mortalium

libentius, quam te, in hujus laboris societatem admittet. Scio enim, quam te in oculis ferat, quantumque tribuat summo, quo polles, ingenio, exquisitaeque doctrinae.

Etymologicum illud Ultrajectinum, quod Ammoniana continet, dubito, an conveniat cum Parisino; ex quo juvat huc referre articulum, quo elegans conjectura tua eximie confirmatur: Γέρων καὶ πρεσβύτερος καὶ προβεβηκὼς διαφέρει. Ἀλεξίων ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Διδύμου συμμίκτων φησὶν οὕτως, ἐκ τῶν Ἀριστάνου (sic) περὶ ἀνθρώπου γενέσεως καὶ αὐξήσεως ἀχριγήρως. βρέφος μὲν γάρ ἐστι τὸ γεννηθὲν εὐθέως. παιδίον δὲ, τὸ τρεφόμενον ὑπὸ τιτθῆς. παιδάριον δὲ, τὸ ἤδη περιπατοῦν καὶ λέξεως ἀντεχόμενον. παιδίσκος δὲ, ὁ ἐν τῇ ἐχομένῃ ἡλικίᾳ. παῖς δ' ὁ διὰ τῶν ἐγκυκλίων μαθημάτων δυνάμενος ἰέναι. τὴν δ' ἐρχομένην ταύτης ἡλικίαν, οἱ μὲν πάλληκα, οἱ δὲ βούπαιδα, οἱ δ' ἀντίπαιδα, οἱ δὲ μελλέφηβον καλοῦσιν. ὁ δὲ μετὰ ταῦτα, ἔφηβον. ἐν δὲ Κυρίνῃ τοὺς Ἐφήβους τριακαδίους καλοῦσιν. ἐν δὲ Κρήτῃ Ἀποδρόμους, διὰ τὸ μηδέπω τῶν κοινῶν δρόμων μετέχειν. Ἀχαιοὶ δὲ κούρους. Κάδες (sic) δὲ ἀγούρους. ὡσαύτως καὶ Ἀττικοί. οἱ δὲ μετὰ ταῦτα μειράκιον, ἢ μείραξ, εἶτα νεανίσκος, εἶτα ἀνὴρ μέσος, εἶτα προβεβηκὼς, ὃν καὶ ὠμογέροντα καλοῦσιν. εἶτα γέρων, εἶτα πρεσβύτης εἶτα ἐσχατόγηρος. Eruditus ille Theocriti Scholiastes vel te, vir amicissime, vel Lennepium nostrum editorem exspectat. Ipse enim alia instituta habeo, quae absolvere mirifice cupio. Nec omnibus edendis par sum. Nam praeter ea, quae jam possideo, multa alia propediem ab Eminentiss. Cardinale Passioneo exspecto, ex Vaticanae Bibliothecae scriniis depromta. Qui aliis in rebus semper cum adversâ fortunâ conflictor, hac in re

ita illam fautricem habeo, ut paene superet fidem. Quis enim credat, Cardinalem, lecto Timaeo nostro, me primum humanissimis literis compellasse, mihique thesauros obtulisse Vaticanos? Memor eorum, quae in Epist. ad Roeverum scripsisti, ex Theocriti Scholiis adscribam argumentum Cyclopis; unde, quantum editis praestent, intelligi licet: Ὑπόκειται ὁ Πολύφημος κύκλωψ ἐρῶν τῆς Γαλατείας, καὶ ποιῶν τὸν ἐπὶ τῇ Γαλατείᾳ ἔρωτα δι' ᾠδῆς. προσδιαλέγεται δὲ ὁ Θεόκριτος ἰατρῷ Νικίᾳ Μιλησίῳ τὸ γένος. τὸ δὲ ποιημάτιον φέρεται ἀναγεγραμμένον ὑπὸ Θεοκρίτου Κύκλωπος (corrige ex editis) οὗ ἡ ἀρχή·

Ἦν γὰρ ἀληθὲς τοῦτο Θεόκριτε. οἱ γὰρ ἔρωτες
πολλοὺς ποιητὰς ἐδίδαξαν τοὺς πρὶν ἀμούσους.

Ἐπιγέγραπται δὲ Κύκλωψ ἢ Γαλατεία. γέγονε δὲ συμφοιτητὴς Ἐρασιστράτου Μιλησίου. ὥς φησιν Διονύσιος ὁ Ἐφέσιος ἐν τῇ ἰατρῶν ἀναγραφῇ.

Habeo plura, de quibus ad te referre vellem, mi Valckenaeri optime, sed charta me deficit. Itaque vale, et me ama. Dab. Leidae d. 13 Maji. 1756.

CELEBERRIMO AMICISSIMOQUE VIRO,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

D. RUHNKENIUS.

De Frischingii notitiâ, quam humanissime mihi conciliasti, mihi literisque nostris etiam atque etiam gratulor. Potero eo plura in eum humanitatis officia

conferre, quod posthac rursus Leidae domicilium figere constitui. Musgravius Oxonii degit, nullis dum, quantum sciam, publicis honoribus ornatus. Ipse brevi ad eum literas dabo : quibus, si commodum visum fuerit, Tuas adjunges. Equidem non dubito, quin operam Hippolyto navatam talem repereris, qualem Tibi descripseram literis meis. Nollem, tantâ in excutiendis membranis usus esset festinatione. Nam, ut hoc utar, codicem praestantissimum, quem Hemsterhusius huc missum contulit, in dubiis tantum locis consulere satis habuit. Praeterea non Regios solum Codices plures neglexit, sed ne oculis quidem usurpavit pervetustos MStos Euripideos Bibliothecarum Sangermanensis, Genovevae et Sorbonensis. Scilicet bellum inter Gallos Anglosque coortum, illum non sinebat ad exitum spei suae venire.

Ex Germaniâ mihi nunciatur, Timaeum nostrum recudi cum ineptis adnotationibus Fischeri nescio cujus. Idem novam Moeridis Atticistae editionem dicitur parare. Ex Frischingio laetus intellexi, te de Herodoto praeclare mereri. Quicquid in eum mecum attuleram Glossarum ineditarum, illud omne cum Wesselingio communicavi : ut adeo mihi non integrum sit, quid illae ad v. Εἴρην afferant, Tibi significare. Pythagoricorum fragmenta, ingenio Tuo perpolita, ecquando videbimus? Vix credas, quanto illorum tenear desiderio. Bene Vale, Vir Excellentissime, mihique fave. Dab. Leidae. d. 15 Jun. 1756.

PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO,

L. C. VALCKENAERIO,

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Primo Februarii illustrissimi Academiae Leidensis Curatores, Hemsterhusii commendatione adducti, mihi Graecarum literarum praelegendarum munus detulerunt. Quod, peto a te atque contendo, mi Valckenaeri, ne in praejudicium tuum factum existimes, neu quid ideo de amore, quo me semper complexus es, diminuas. Tanta nominis tui fama est, et tanta apud Amplissimos quoque Curatores meritorum tuorum in rem literariam existimatio, ut dubitare non debeas, quin, quae primum vacaverit, Professionem tibi sint tradituri. Mihi vero si quis Academicorum laborum socius vel voto fingendus sit, non alium mortalium, quam te, reperio, quocum unâ vivere conjunctissime, et unâ juventutem erudire malim. Atque haec eo candore a te accipi velim, quo a me scripta sunt Plura hac de re coram confabulemur, si futurâ aestate tui hîc videndi nobis felicitas obtigerit. Interim vale, Vir Eximie, mihique pristinum tuum amorem conserva. Dab. Leidae d. 3. Februar. 1757.

ERUDITISSIMO CLARISSIMOQUE

DAV. RUHNKENIO

S. P. D.

LUD. CASP. VALCKENAER.

Eram in literis ad Frischingium scribendis occupatus, quum hac tandem vesperâ tuae perbreves illae ad me pervenêre, in quibus quod scribis ante hoc triduum ex amici literis intellexeram. Munus tibi demandatum gratulor, cui nullus dubito, quin decus sis, et ornamentum conciliaturus. Felicem te praesertim reputo, quod Hemsterhusio sis collega futurus! De meo erga te animo semper prolixo nihil habuisti causae, cur dubitares: at ego mirabar, his proximis aliquot mensibus cur a te nihil acciperem literarum, quibus, quid ageretur, me non lateret. Vale, Vir Praestantissime, meque, quod facis, ama. Dabam Franequerae d. 11 *Febr.* 1757.

PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Nullius facile docti viri literae mihi plus, quam tuae, vel voluptatis, vel utilitatis attulerunt. Quo aegrius illarum fructu ab aliquo tempore carui. Jam

cum mihi aliquid otii obtigerit, non puto suavius illud collocari utiliusque posse, quam in jucundo illo commercio nostro instaurando. Juvat vero eâdem operâ apud te instaurare memoriam Jambographi eximii, Herodis, cujus olim nomen illustri laude viguit, hodie ab ipsis eruditis propemodum ignoratur. Hunc Herodem Jambographorum principem ponit Plinius Lib. IV. Ep. 3, ubi alii Phileten, alii Eratosthenem imperite substituunt: Gesnerus, Germanorum doctissimus, sibi non liquere, ingenue fatetur. Hunc ipsum Herodem fortasse in animo habuit Quintilian. Inst. Orat. X. 1. p. 497. *Ex tribus receptis Aristarchi judicio scriptoribus Jamborum ad ἕξιν maxime pertinebit unus Archilochus.* Ubi Gesnerus nescit, an sciatur hodie, qui alii sint duo. Equidem omnino scire puto. Sunt enim Hipponax et Herodes, vel certe Hipponax et Simonides: quos duo posteriores, tanquam Jambicorum principes, cum Archilocho conjungunt Proclus Chrestomath. p. 342, et Grammat. Bibl. Coïsl. p. 597. id quod virum variâ doctrinâ praeditum latuisse miror. Unum Herodis fragmentum affert Zenobius VI. 10; unum etiam Maximus Tom. II. p. 636. Sed septem nobis conservavit Stobaeus: quae eâ scripta sunt elegantiâ, ut eorum, quae perierunt, desiderium vehementer commoveant. Unum fragmentorum apud Stobaeum dicitur sumtum esse ἐκ Μολπείνου. Sed vide, an non ille scazon lepide inscriptus fuerit Βολβοπείνης. Nosti, βόλβους referri inter ὑποβυντιῶντα, ut Menander vocat, βρώματα. Ex his, quae breviter disputavimus, satis jam apparet, quam

male fragmenta illa a Stobaeo allata Herodi Attico tribuerit bibliothecarius Graecus Vol. VIII. p. 718. Porro, Athenaeo L. III. p. 86. B. citatur Ἡρώνδας ἐν Συνεργαζομέναις, ubi Casaubonus negat, se alibi Herondam Comicum invenire. Ne tu quidem, praestantissime Valckenaeri, invenisti, quem nihil harum rerum fugit. Scilicet Ἡρώνδας patronymico Doricae formae posito pro Ἡρώδης, est ipse Herodes noster. Merito igitur illustris Grotius ad Stobaeum p. 545. Athenaei Herondam non diversum statuit a Stobaei Herode. Sed obiter Herodis nomen eximamus ex Hipponactis fragmento apud Schol. Nicandri p. 44. ed. Ald. Λαιμώσσει δέ σου τὸ χεῖλος ὡς Ἡρώδου, ubi reponendum, ἐρωδιοῦ. Rapacissimam hanc avem fuisse, veteres tradunt.

His, nec pluribus, locis, Herodem Jambographum laudatum reperi. Sed quis nostrûm dixerit, quoties, apud Scholiastas praesertim, sub Herodoti, Herodori aut Herodiani nomine lateat? Non dubito, quin, quae tua est sagacitas, hujusmodi locos jam dudum observaris.

Cum Xenophonte tibi pervetus, mihi nupera admodum notitia est. Ut igitur aliquas emendationes in illum tuas eliciam, proferam unam alteramve meam. Memorab. L. I. p. 719. E. videor mihi exquisitum Atticismum, quem et Terentius imitatus est Eunuch. II. 3. 70. recte hoc modo restituisse: ὥστε μηδὲν μηδαμοῦ παρ' αὐτοῖς τοὺς ἄλλους εἶναι πρὸς ἑαυτόν. Plura hujus locutionis exempla ad manum sunt: sed ea apud te expromere, vanissimum foret. Ibidem post verba, ταῦτα λέγοντα, insignis lacuna

est, quam nemo interpretum, quod sciam, animadvertit.

L. II. p. 748. D. μὴ ὥσπερ ὅταν τις οἰκέτην πονηρὸν πωλῇ καὶ ἀποδῶται ποῦ εὑρόντος. Primum tanquam glossema tollo verba, πωλῇ καὶ. Deinde nec εὑρόντος sanum judico. H. Stephan. Thes. T. I. p. 993. citat εὑρεθέντος. Atque ita manus docta adscripsit margini exemplaris, quod ex Havercampianâ bibliothecâ in publicam venit. Equidem ita emendo: ὅταν τις οἰκέτην πονηρὸν ἀποδῶται τοῦ τυχόντος. Pollux V. 162. alicunde affert: οὐδὲ τοῦ τυχόντος ἄξιος.

L. III. p. 768. D. ὅταν δὲ ἢ χειμῶνα ἢ πολέμους δείσωσιν. Amicus noster, qui Xenophontis Memorabilia negligentius, nec pro acri ingenio et doctrinâ suâ tractavit, conjicit, πολεμίους. Repone, σκοπέλους. Quam emendationem verissimam judicabis, si inspexeris Lucianum de mercede conduct. p. 653.

Bene vale, Vir Eximie, et, quid rerum agas, diligenter ad me perscribe. Pythagoricorum fragmenta cupidissime a te hic exspectamus omnes. Dab. Lugd. Batav. d. 13. Maji 1758.

Ne quid chartae pereat, duos Tragicorum locos hic castigabo.

Sophocles Philoct. v. 327. — τινὸς γὰρ ὧδε τὸν μέγαν
Χόλον κατ' αὐτῶν ἐγκαλῶν ἐλάλυθας;

Lege, ἐγχαλῶν. χόλον ἐγχαλῶν est irae frenum laxare.

Euripides Cyclope v. 169. Ἅπαξ μεθυσθεὶς, καταβαλών τε τὰς ὀφρῦς. Scribe, καταχαλῶν. Aristophan. Vesp. v. 653. χαλάσας, ἀλίσκον τὸ μέτωπον. Alibi etiam haec verba confusa observavimus. Sed charta me deficit. Iterum vale, mihique, quod facis, fave.

D. RUHNKENIO

S. P. D.

L. C. VALCKENAERIUS.

Qui tam longo tempore nihil a te acceperam litterarum, vix credas, quantopere sim gaviusus acceptis, quas ad me nuper dedisti, elegantissimis. Perplacuerunt quae docte de Herondâ *Jambographo notata mecum communicasti. Locorum apud* Stobaeum *ultimum p.* 591, 25. *minus dextre tractavit* Grotius *p.* 481. *Sic, opinor, restituendum:*

Ἐγὼ δ' ἀέρα νιὸς ὢν (τὸ γὰρ γῆρας ἡμέας καθέλκει) καὶ σκιὴ παραστήκω.

Qui paulo post sequitur, in quo Gryllii fit mentio, is ipse est, quem hinc descripsit Maximus *p.* 197. *In veteri Stobaei editione* Herodis *vel* Herondae *choliambis adscriptum alicubi* Herodoti *nomen: an sub hoc vel simili nomine lateat illa tuus alicubi, difficulter constitui poterit. — Venustum est quod* Xenophonti *restituis* ὥστε μηδὲν παρ' αὐτοῖς ποῦς ἄλλους ἴοιμι πρὸς ἐμοῦ. *Malleem abesset* μηδαμοῦ, *quod in istâ formulâ non memini me legere: idem illud Xenophonti* λῆρος *dicitur, K. A. VII, p.* 248, 1. Ἡρακλείδῃ λῆρος πάντα ἐδόκει εἶναι πρὸς τὸ ἀργύριον, etc., *quod et apud Platonem legisti atque alios. Sophocles Creusa v.* 13.

πρὸς τὰ χρήματα
θνητοῖσι τἄλλα δεύτερ'.

Illud rarius Jambographi *apud Athen. XIV, p.* 265. *C.* Χρυσὸν λέγει Πύθερμος ὡς οὐδὲν τἄλλα. *Unde corrigenda* App. Vatic. *III Prov.* 14. Plautus *Capt. II,*

2, 25. *ad sapientiam* hujus nimium nugator fuit. — *In altero* Xenophontis *loco non ausim substituere vulgatae lectioni Tuum* τυχόντος, *quamquam sensum praebet opportunum; quia prae caeteris Xenophon de pretio rerum venditarum frequentat* εὑρεῖν. p. 479, 20 (*utor ed.* 2. *Steph.*) πόσου (πόσον) ἂν οἶει εὑρεῖν τὰ τοιαῦτα κτήματα πωλούμενα; *et p.* 507, 5. Isaeus, *p.* 72, 40. οἰκίαν δισχιλίας εὑρίσκουσαν. *et pag.* 88, 20. Herodot. *p.* 79, 40, *etc.* — *In postremo loco acute vegitatum* σκοπέλους *genuinum iudico.* — *Mea quaedam in* Xenophontem *observata aliâ vice tibi proponam examinanda. In* Sophoclis *Philoct. valde placet* ἐγχαλῶν. *In* Cyclopis Eurip. *v.* 166 *eodem sensu forte capi posset vulgatum* καταβαλών. Theophr. *Char. C. VIII.* καταβαλὼν τὸ ἦθος, καὶ μειδιάσας. Lucian. *Tim. p.* 147. τὸ πάνυ τοῦτο ἄγριον καὶ τραχὺ καταβαλών. — *Qui quidem* Pythagoreorum fragmenta *a me exspectatis oppido Hercle pauci estis: illis perlibenter manum admoverem, si nancisci possem collationem ad vetustum* Stobaei *Codicem unum alterumve curate factam. Nostinè quempiam Parisiis, qui pretio posset ad id induci? de cujus esset in his rebus peritia persuasus?* Koenius, *juvenis egregius, qui hinc ad Vos veniet, meâ apud te non eget commendatione.*

Quando nobis prodibit Callimachus? — *Quid putas esse causae, cur nihil responsi acceperim a Clar.* Ernesti *ad literas jam antè quinquennium ad ipsum datas? Dubito etiam interdum an* Phoenissarum *acceperit exemplar. Fasciculum, ut puto,* Reiskio *inscripseram. In literis istis agere coeperam de* Fragmentis *quibusdam* Callimachi *ad sua loca re-*

farendis. Ad Ibin referenda suspicor Bentlejana fragm. CXCIX et CXIX, sic, opinor, conjungenda:

Τὴν κείνου Φάλαρις πρᾶξιν ἀπεπλάσατο,
Πρῶτος ἐπεὶ τὸν ταῦρον ἐκαίνισεν, etc. — *Vid.* Ovid. *Ibis* v. 439. *Illuc et retulerim fragm.* 174. 200. 204. (*ubi Tecum dudum posueram* ἀκκεφάλεν.) Ovid. *Ib.* v. 169. Ungulibus et rostro *tardus* trahet ilia vultur. *Placetne, quod mihi venit olim in mentem:* tua distrahet ilia v.? *CCIX.* Φωκαιέων μέχρις κε μένῃ. *vel* Φωκαέων. (*Phocaeensium enim* πατέρα *respicitur, de quâ* Herodot. *I.* c. 165.) *CCXXII, CCXXIII, CCXCII, CCCVII.* Τὸν ἥδεον ὥστε κόρειβον. Ovid. *Ib.* v. 577. *CCCXV forsan e Schol. in Dionys. Thrac. sic legendum supplendumque:* Τόν τε Κροτωπιάδην, καὶ μὲ τὸν αὐτὸν ἐμέ. Ovid. *Ib.* 480. Quique Crotopiaden diripuere Linon. *Sed missis* Fragmentis *nonnulla ponam ex hymno in* Cererem. *V.* 3. *monuit olim summus noster T. H. verba:* χάμαι θασσεῖσθε θέβαλοι *parenthesi esse includenda* — v. 27. — διὰ κεν μόλις ἦλθεν ὅστις. *Scribendum suspicor* ἔλθοι, *quia semper voculae* κε Callimachus *optativum subjicit.* v. 72 *mihi, pace tuâ, suavissimus videbatur et Callimachaeus; sed ejiciendus, qui hunc praecedit,* Τόσσα Διώνυσον γὰρ ἐ καὶ Δάματρα χαλέπτει, *meo judicio absurdissimus. Dici saltem debuerat* ἀ γὰρ Δήμητρα, ταῦτα καὶ Διώνυσον χαλέπτει. — v. 94. ἵρες *me quidem non offenderent in hac sede.* Philo Jud. p. 933 B. φασκοὶ γεγόνασιν ἵνες αὐτὸ μόνον καὶ λεπτὴ δορά. *Sed* νεῦρα *jam adeunt in Callimachei, et semper* pellis *vel* cutis *in talibus dictis commemoratur. Suspicabar itaque legendum:* μέσφ' ἐπὶ νευρὰς Δειλαίῳ ῥινός τε καὶ ὀστέα μοῦνον ἔλειφθεν. *Nosti*

Casaubono notata Lect. Theocr. pag. 248, quaeque plura mihi sunt ad manum. V. 96 spurius cur videatur, jam olim memini me perscribere. V. 128 littera superflua sublata vulgari debet rara pedd. Horum si nonnulla non improbaveris, laetabor. Vale.

CELEBERRIMO PRAESTANTISSIMOQUE VIRO,

L. C. VALCKENAERIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Si par voluntati vel cupiditati potius meae otium esset, quotidie meis te literis interpellarem, ut tuas, doctas illas et elegantes, quae me erudirent, elicerem. Vel ultimae illae, quas superiore aestate accepi, quam praeclaris emendationibus me bearunt! ex quibus illam in Antiphanis Fr. ἐπὶ τὸ πόρρωθεν, capitalem judico et ingenio tuo dignam. Conjecturas, quas in Callimachum adjeceras, statim cum Clarissimo Ernesti communicavi: nec illarum elegantia, quin amico nostro gratae acceptaeque fuerint, nos dubitare sinit. Vs. 96. Hymn. in Cerer. tecum spurium censeo. Sed vs. 24. etiam litura potius, quam ullo alio remedio, sanandus. Exulat enim ab omnibus MSStis, et Edd. antiquis, et primum de magistelli ingenio suppletus est in editione raro obvia Benenati. Plures alios versus spurios MSStorum ope detexit feliciter et profligavit Cl. Ernesti, vel hoc nomine de Callimacho bene meri-

turus. Vs. 94. pulcrum est, quod conjicis, φυόν τε. Sed certius quid praebent MSS. μετὰ ἐν πλευρᾶς δειλαίω ἥνός τε, etc.

Stobaei Codd. plures sunt in Bibliothecis Parisinis. Sed qui conferendi laborem suscipiat, novi neminem. Nam vir doctus et in Codicibus tractandis exercitatus, cujus ego operâ antehac uti solebam, postquam uxorem bene dotatam duxit, me et omnes Codices Graecos valere jussit. Stobaeana in Obs. Miscel. non sunt d'Orvillii, sed Wolfii Hamburgensis; et sine dubio adhuc supersunt apud Wolfii fratrem : quem libri ejus indoctum ostendunt, ego in schedis communicandis difficilem et morosum sum expertus. Sed forte Wolfius haec, ut alia hujus generis, d'Orvillio dono dedit; a cujus filio, nihil est, quod speres. Dicitur enim per tres annos peregrinaturus, et cum maxime in Galliâ versatur. Sed tamen facile tibi est, Augustani Codicis Variantibus frui. Est enim in illâ urbe Gymnasii Rector, Graecae linguae satis callens, qui peritiam et industriam suam in Theophrasto conferendo valde probavit Fonteinio. Cui ut hanc operam parvâ mercede loces, omnino tibi auctor sum. Quodsi haec via minus tibi placuerit, audacter literis compelles Illustrem van Zwieten, cujus incredibilis erga bonarum literarum cultores est humanitas, et qui (quod res est) ad manum habet homines Graecorum MSS. tractandorum peritissimos. Et viri summi humanitas et amanuensium ἀκρίβεια nuper superarunt exspectationem meam.

Cum conjecturas meas in Xenophontem tibi non

displicere intellexerim, juvat rursum alterante acerbindo quo judicio subjicere. Memorab. L. III. p. 779. [illegible] Mandie omnium te fugit, quod prima verba formamque Cebetis Theophrasto expulerit librariorum incuria. Id hoc loco etiam accidisse, liquide apparet ex Grammatico MS., qui penes me est. [illegible] Praeter hanc non est alias in Memorabili locus, ad quem glossa referri possit. Legimus igitur in posterum, [illegible] semel est apud Orpheum, ter apud Apollonium Rhodium. [illegible] duplex est ipse Xenophon. L. IV. p. 796. B. [illegible] Emendandi viam monstrat Stobaeus, apud quem legitur [illegible] A. Scripserat Xenophon [illegible]

Ibid. p. 804. B. φασὶ δ' τινες καὶ ἱκανοὺς καὶ βούλεσθαι τῷ βουλομένῳ δικαίους πρᾶσσεσθαι, πάντα μεστὰ εἶναι τῶν διδαξάντων. Videri posset, pro δικαίους emendandum esse ἱκανοὺς, quod certe commodiorem sententiam reddit. Verum ego haec omnia turpe nugacissimi hominis ludibrium esse puto, quod nimis patienter editores tulerunt; amicus etiam noster in notulis suis explicare est conatus. Plura alias in Cyropaedeiam, quam nuper serio et critice legere coepi.

Cum aliquid chartae superest, certiorem te faciundum puto de consilio, quod nuper, Monsterhusio potissimum auctore, cepi, typis iterandorum augendorumque Josephi Scaligeri Operum Varorum. Novae accessiones praecipuae hae erunt: Hippocrates de Capitis Vulneribus cum notis Scaligeri.

Nicolai Vincentii Chirurgi Defensio notarum in Hippocrat (V. Wesselingii Diss. Herod. p. 140). Ivo Villiomarus ipsius Scaligeri manu emendatus, etc. In Hippocratem an plura scripserit Scaliger, mihi non constat. Sed diserte illud affirmat D. Heins. in Orat. funebr. pag. 36. his verbis : *Nam de magno Hippocrate quid dicam, cujus aliquot libellos, olim Lutetiae excusos, notis illustravit: cujus Aphorismos, imitatus Celsum, in Latinum convertit sermonem.* Tu, Vir Eximie, qui cum paucis divini viri virtutes reverenter colis, si quâ re poteris, hoc institutum meum ornabis. Ineditorum nihil addere constitui; nisi forte mihi obtingant Epistolae, quas semper Scaliger summâ cum curâ, et plane ita ut edi possent, scribere fuit solitus. Vale, Vir amicissime, mihique, quod facis, fave. Dab. Leidae d. 24 Nov. 1758.

CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO VIRO

DAV. RUHNKENIO

S. P. D.

LUD. CASP. VALCKENAER.

Qua *es humanitate, meam in respondendo tarditatem excusabis, et veluti* ἀρεστήριον *accipies has quatuor epistolas, non magni quidem illas momenti, Scaligeri tamen, et, ut opinor, ineditas. Misit illas ante hos aliquot annos ad me Jacobus Kocherus, Theologus Bernensis, speciminis gratiâ, et plures, si desiderassem, meam in gratiam ille descripsisset: sed hae similesque tuo vix videntur instituto conve-*

nire, quod mihi supra modum placet. Magnam inibis ab eruditis hominibus, et a me, gratiam, renovatis rarissimis istis Josephi Scaligeri opusculis, quae memoras. An et his interseres ejus de Arte Criticâ diatriben L. B. 1619. 4. vulgatam, cui adjecta legitur loci Galeni explicatio? Neque hanc vidi, neque ejus Animadversiones in Bezae Nov. Test., quae repeti possent ex Actis Literariis Schurzfleischii. An et adipisci posses Jo. Martini epistolam, quâ respondit ad illam sub Nic. Vincentii nomine vulgatam? Qui hujus meminit Wesselingius in Diss. p. 29, habet ex Etymologico fragmentum, quod tu forte non improbabiliter ad Herondam tuum referas. In Herodoto emendando te occupari laetus intellexi. Spero fore, ut in eadem aliquoties incidamus vestigia. Partem mearum in Herodotum animadversionum dudum ad illum misi, plura brevi missurus. Libenter ex te cognoverim, an Cl. Ernestio non ingratae acciderint, quas ad eum misisse te scribis, conjecturae. Libenter e te cognoverim, quando liber Variorum proditurus. De Stobaeanis alias videbimus. Placuêre, quae scribis.

Isthac auctoritate munitum libenter ἀδεπιγραφίαν recipio. Thucydideum ἀνεπιστημοσύνη suspiam, opinor, alibi legitur in Xenoph., saepius ἀνεπιστήμων; quod et in Oecon. suspicor restituendum p. 480. 11 (edit. Leuncl. pag. 823 E) ἐμὲ δὲ τῆς τινὶ τούτων οἶμαι ἀνεπιστήμονα χρήσεσθαι, pro vulgatis ἂν ἐπιστήμονι χρῆσθαι. Quae praecedunt et sequentia adfirmant istam lectionem. Si collationes Codicum Xenoph. nobiscum eâ cum curâ institutae communicarentur, quâ facta fuit illa τῆς Ἀναβάσεως ad Regium Paris.

istiusmodi plurima detegeremus. Illinc multa collegi hujus generis. Hoc unum de rarissimis: Cyr. Anab. L. V. circa finem, p. 217. 36, *ubi vulgatur* δεσμεύουσι, *praebet eximius iste Codex, cujus tamen lectiones Hutschinsono debemus* διδέασι. *Verbum Atticum* δίδημι, *quod vix aliunde noveramus, quam e Grammaticis, in quibus saepe latet depravatum, saepius usurpatum Hesychiana monstrant* Διδείασι (διδέασι) δεσμεύουσι. Δίδη· Διδεῖν. Δίδημι. Διδέντων. Διδεῖναι, *quod in* διδέναι *vel* διδεῖν *transmutandum. E tuis istud Grammaticis ineditis, ut suspicor, novâ luce cumulabis.*

In secundo loco venuste corrigis λῆρος. *Illud tandem e pag.* 468 (804) φασὶ δέ τινες κ. τ. λ. *in Schedis etiam meis tamquam alterius emblema dudum notaveram. Hoc itaque sicuti mihi quidem facile adprobasti, nunc te da mihi vicissim, quando nuper in Xenophonte exigendo fuisti totus. Quae mihi sedet, sententiam, si castigatissimo iudicio tuo potuerim adprobare, forsan auderem aliquando publice periclitari. Praeter caetera capitali Xenophontis ingenio mihi visa sunt singula cum curâ expendenti prorsus indigna* Socratis, *quae dicitur,* Apologia, Encomium Agesilai, *et ad Cyropaediae parpuram* adsutus absurdissimus pannus *p.* 141, 5 (*edit. L. p.* 238, *D.*) *post ista verba* καὶ οὕτως ἐτελεύτησεν. *Ista tria opuscula ab eodem mihi certe videntur ingenio Sophistico edolata, tot ineptiis et absurdis plena, ut saepe miratus sim, qui factum sit, ut tot saeculis, et his novissimis, ab oculatissimis hominibus tamen lecta sint tamquam Xenophontea. Agesilai quidem encomii dimidia propemodum pars exhibet Xenophontea, sed ad verbum*

transscripta ex Historiâ Graecâ, quae ad laudandum Agesilaum paene tota comparata est. Quidquid Sophista Xenophonteis interjecit de suo, in iis omnibus soricis instar se prodit. Ἀπομνημονεύματα *exhibent Socratis apologia; illa quae hoc nomine prostat vulgata, praeter inde excerpta, nihil quod Xenophonte dignum sit. In meam gratiam solum illud lege additamentum ad Cyropaediam, et valde fallor animi, si non mihi tecum istis lectis conveniat. Athenaeus, Plutarchus, Aristides, Stobaeus, alii, quibus lectum fuit encomium istud tamquam Xenophontis, me quidem a sententiâ non dimovent. Sed si eam rem instituerem tecum fabulari, scribenda foret verbosa disputatio.*

VALCKENAERIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Inter oratores, quos ad partes vocat Rutilius Lupus, p. 204, 33, bis laudatur *Cleochares*. Ad hunc refero Photium Bibl. pag. 394, Cod. 176. Κλεοχάρης δὲ ὁ Μυρλεανὸς, ὑπὲρ τῶν Ἰσοκρατικῶν ἁπάντων οἶμαι λέγων, etc. Locus obscurus est et perturbatus, quem sic restituo: Κλεοχάρης δὲ ὁ Μυρλεανὸς, ὑπὲρ τῶν Ἰσοκρατικῶν ἁπάντων οἶμαι λέγων, ἐν τῇ πρὸς τὸν Δημοσθένην συγκρίσει φησί· τοὺς μὲν Δημοσθένους λόγους τοῖς τῶν στρατιωτῶν ἐοικέναι μάλιστα σώμασι, τοὺς δὲ Ἰσοκρατικοὺς τοῖς τῶν ἀθλητῶν. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ μὴ τὰ πρῶτα αὐτοῖς παραδοχεῖν. Ultima verba etsi a glossatore profecta videri possunt, malim tamen Photii putare. Ejusdem Cleo-

charis nomen instaurandum est in Strabone XII. p. 850. ubi inter viros, qui Bithyniam ingenio suo illustrarint, refertur Κλεοφάτης ῥήτωρ ὁ Μυρλεανός. Scribendum Κλεοχάρης. Excute thesauros tuos, si quid praeterea habeant, quod ad Cleocharem pertineat.

VALCKENAERIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Velim mihi copiam facias Poëtarum Christianorum a Fabricio editorum, et adnotationem, quam subjeci, ad examinis subtilitatem revoces.

Rutilius Lupus p. 3. fin.

Nam majorem partem ex illis doloris et contumeliae capimus.

Sine dubio Charisius expressit Eueni, poëtae vetustissimi, versum, qui in proverbii consuetudinem abiit. Plutarch. de Amor. prol. pag. 497. A. ὥστε ἐπαινεῖσθαι καὶ μνημονεύεσθαι τοῦ Εὐήνου τοῦτο μόνον, ὡς ἐπέγραψεν, Ἴδε ὅσῃ λύπῃ παῖς πατρὶ πάντα χρόνον. Eundem versum, suppresso Eueni nomine, laudet Artemidor. 1. 16. καί τις καὶ λόγος παλαιὸς τὸ τοιοῦτον ἀποδείκνυσιν. ἔστιν δὲ ὧδε. ὡς υἱοὺς ἡ λύπη παῖς πατρὶ παντα χρονον. ubi Is. Casaubonus, teste Rigaltio, scribebat: Εἶδεν ὅσῃ λύπῃ, etc. Alio modo tentabat Jac. Tollius Fortuit. cap. XI. pag. 84. Ὡς υἱὸς ἡ λύπη πᾶς πατρὶ πάντα χρόνον. Mirabiliter totum versum pervertit Des. Herald. ad Arnob. I. p. 8. Ἢ ὅις, ἢ λύκος παῖς

πατρὶ πάντα χρόνον. Equidem in Artemidoro scripserim: ἄν λύπη παῖς ὁ τοῦ. Neque enim necesse fuit integrum versum laudari. Longe diversam lectionem habet Hermias Comm. MS. in Platonis Phaedrum: Θαυμαστὸς δὲ ἐγένετο Εὐηνὸς, καὶ ἀλλαχοῦ αὐτὸν ἐπαινεῖ· ὡς καὶ τὸν ἴαμβον ποιῶν εἶπε· φόβος ἡ λύπη παῖς πατρὶ πάντα βίον. An potius legend. λόγος? sed φόβος etiam commode explicari potest.

VALCKENAERIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Liberos tuos suavissimos anceps periculum evasisse gaudeo et triumpho. Licebit nunc utrique rostrum ad Musas reverti, tibi curis, quas liberorum morbus, mihi, quas Magistratus Academicus afferebat, solutis.

Qualem librorum perturbationem olim in Apsine, talem his ipsis diebus in Photio deprehendi. Nam Excerpta, quae dedit Agatharchidae, non sunt unius Agatharchidae, sed trium diversorum scriptorum, glutinatoris culpâ inter se permista. Hoc inventum an ab aliis occupatum sit, nescio, quoniam careo Geographis Minoribus Hudsoni.

P. 1311. Ed. Rothom. a verbis Αὐστηρὸς ὁ λόγος incipiunt Excerpta ex libro morali Tutoris ad juvenem regium usque ad πλείστου εὐλαβεῖσθαι. Tum parca interponuntur ex Agatharchide de Aethiopum colore. Sed mox reditur ad Excerpta ex eodem libro morali

a verbis Ἐγὼ δὲ ἀφ' ἧς usque ad τοῦτο πείσεσθαι. Quis ille tutor, qui hunc vel libellum vel Epistolam ad juvenem regium, mox regem futurum, scripsit? An Antigonus tutor ad Philippum II? Alius jam non succurrit. Tu videris.

P. 1334. est Excerptum e libro Rhetorico a verbis Ὅτι πολλοὶ usque ad παριστοφάνεται. Neque me movet, quod p. 1338. dicitur, ὡς φησὶ Ἀγαθαρχίδης. Nam haec verba non Photii sunt, sed interpolatoris. Et nimis manifestum est alterius esse scriptoris Excerptum. Sed cujus tandem? An Longini περὶ Ὑψοῦς? Quamquam dignum est Longino, stilus tamen differre videtur.

P. 1344. in vero Agatharchide sic editur ἀναθέμενοι πέτρους αὐτοπαγεῖς ἐπὶ τῆς κοιλίας οἱονεί τινας ἀραιούς. Scribendum οἱονεί τινας ἁρμούς. Forte quis malit οἱονεί τινας ἀραρινούς ex Hesychio Ἀραρινοὶ ὅσα cet. Sed mihi, ut nosti, dudum suspecta visa est ista forma et mutanda in Ἁρμοὶ ὅσα cet.

Vale, mi optime Valkenaeri! et meis verbis lectissimae uxori faustam Lucinam precare.

VALCKENAERIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Velim mihi mittas illam plagulam Diatribes tuae, in quâ de Phaeace disputas. Excussi Taylori argumenta; quae nec mihi probantur ob has rationes:

I. Phaeax amicus fuit Alcibiadis, atque alienus

ab Andocide, cujus etiam a Plutarcho laudatur ἀπολογία πρὸς Φαίακα.

II. Taylori emendationem respuit contextus Plutarchi : qui, si id dicere voluisset, quod Taylorus contendit, sine dubio scripsisset : καίτοι φέρεται λόγος τις. Nunc contextus satis indicat, incerti rhetoris adversus Alcibiadem et Phaeacem orationem fuisse.

III. Quod attinet ad usum publicorum vasorum, facile hoc Alcibiadi objicere potuit et Andocides, et rhetor incertus. Sed exspecto argumenta tua.

An loca quaedam notasti, ubi Zoilus Homeromastix, velut classicus scriptor, e Grammaticis ad formulas probandas citetur ? Habeo unum : vellem plura. Vale.

VALCKENAERIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Velim mihi indices correctionem tuam in Callimachi H. in Dian. Vs. 159. cujus in Theocritum p. 251. obiter mentionem facis. Ego sic legendum suspicor :

Οὐ γὰρ ὄγε Φρυγίης περ ἐπ' ὀφρύσι γοῦν θεαείδεα.

Homer. Ib. Υ. 151. οἱ δ' ἑτέρωθι πάθοιν ἐπ' ὀφρύσι Καλλικολώνης. Eâdem operâ sic corrigendum Orphei Argon. 469.

Σιντιακαῖσι δ' ἐπ' ὀφρύσι κέλσαμεν ὠκύαλοι πεῖρα.

Vale, Vir Amicissime.

VIR CLARISSIME, AMICISSIME!

Literae tuae mihi admodum gratae fuerunt, omnemque metum ex animo meo expulerunt. Satis enim habui ex illis intellexisse, te cathedram Rheno-Trajectinam non antepositurum esse Lugduno-Batavae, etiamsi illa hacce magis lucrifica foret. Quae Ultrajecti aguntur, continuo ad meam notitiam perveniunt. Nam juvenis *van Goens*, qui MSS. conferendorum gratiâ huc venit, fere quotidie a patre suo epistolam accipit, ejusque argumentum statim mecum communicat. Hucusque omnia adhuc incerta sunt. Vox populi interim tamen Literarum Graecarum professionem *Tibi*, Juris autem *Peronneto* adsignat; nec nisi perpauci *Burmanno* favent. Leidae quoque nondum quidquam actum est, quod nimirum ad vocandos theologos pertineat. Quum enim *Vir Ampl. van Rhoon* vix sanitati restitutus erat, coepit *Ampl. de Witt* podagrâ laborare. Attamen certum est *Scholtenum* nominatum iri. *Bonnetius* vero noster non erit. Hunc enim annuo 500 florenorum beneficio Academiae Rheno-Trajectinae se ipsum vendidisse narrant. Ejus igitur loco, si fabula vera est, *Wynpersius* huc vocabitur. In Curatorum autem conventu jam bis tui mentionem factam esse, licet Burmannus id Koenio scripserit, tamen non ita est. *Ampl. van Rhoon* ibi de hac re ne hilum quidem dixit, neque id etiam faciet, nisi nobis omnia prius bene praeparata sint. Burmannus putat, certe sperat, mihi Graecarum, sibique Latinarum Literarum cathe-

dram oblatum iri, quamprimum amico nostro quid acciderit. Verum ista spes hominem egregie fallet.

Literarum commercium cum Marklando mihi non intercedit, sed amicus meus Gally ipsi persuadere conabitur, ut Iphigeniam Leidae typis excudi sinat. Edendi Hippolyti consilium tuum valde mihi placet. Musgravius, homo elegans, id haud aegre feret. Heusingero scripsi, ut Cod. Guelpherbytani collationem tecum communicaret. Quod ad me attinet, equidem hoc tempore Latinis potius, quam Graecis scriptoribus operam do, neque id sine successu. Ut vero ita agam, non modo Literarum Latinarum professio me impellit, verum etiam vindicta, quam de Burmanno, isto calumniatore superbiente, sumere mihi proposui. Istius Anthologia mihi fere utrâque paginâ occasionem aliquid merito vituperandi praebet. Ecce! tibi unum alterumve specimen. P. 457.

Cesserunt arces, cecidere palatia divûm.

Quis unquam hoc modo locutus est? Lege:

Sederunt *arces, cecidere palatia divûm.*

Sedere exquisite dicitur pro *desidere, cadere*. Sallust. fragm. p. 1003, *rupti aliquot montes tumulique* sedere. Tac. Ann. II. 47. Sedisse *immensos montes*. Sidon. Apollinar. III. 13. *cadaver* sidente *strue torrium devolutum*. Graecos ἵζειν ita dicere, nemo te melius novit.

Pag. 632.

Nunc mihi narretur tumidis Arethusa capillis.

Burmannus tentat *rutilis*. Cl. Schraderus in Add. *nitidis;* sed vitium quaerendum erat in *capillis*. Lege:

Nunc mihi narretur tumidis Arethusa papillis.

Ovid. Remed. Amor. 337. *omne* papillae *Pectus habent* tumidae.

In eodem Epigrammate languida sunt et inepta, quae sequuntur

et lecto pendeat illa mea.

Repone:

et telo pendeat illa mea.

Telum, quo viri eumus, ut saepe in Priapejis. Exprobrat poëta, quod Graeci vocant κιλιτίζειν. vid. Asclepiadae Epigram. apud d'Orvill. ad Charit. p. 158. Plura alias, si haec placuerint.

Non committam, ut quid eorum nescias, quae ad rem tuam pertinent. Proximâ hebdomade Theologorum, ut videtur, vocatio fiet. Nam Ampl. de Witt rursus in publicum prodiit, et huc venire potest. Hemsterhusius et Allamandus te salutant. Vale, Virorum Optime, ac fave

Leidae d. 2 Dec. 1764.

Tui amantissimo
RUHNKENIO (1).

(1) Haec epistola a me e Belgico sermone in Latinum conversa est. Quod cur fecerim, alio loco pluribus exponam. Nunc sufficiat harum rerum curiosos amandasse ad Wyttenbachii Vitam Ruhnk. pag. 88.

ERRATA.

Pag.	31.	lin.	19.	αἰγραβάτας	lege αἰγιβάτας
—	46.	—	7.	Pekker	— Pecker
—	57.	—	28.	De Buck	— De Back
—	58.	—	4.	Buckii	— Backii
—	«	—	26.	non Cretensis	— nonne Cretensis
—	76.	—	10.	προδίδου	— πρωΐδου
—	«	—	22.	Toulisiis	— Foulisiis
—	96.	—	2.	remederim	— redemerim
—	«	—	15.	ἰν	— ἴν

Index Scriptorum,

quorum loca quaedam in his epistolis citantur, illustrantur, emendantur.

Numerus paginam indicat.

Aelianus. . . . . 49. 87.
Ammonius. . . . . 44. 84. 88. 92.
Antiphanes. . . . . 110.
Anthologiae poëtae. 29. 30. 31. 37. 39. 48. 51. 52. 53. 54. 56. 76. 122. 123.
Apollonius Dyscolus. . . . . 69.
— Rhod. et Scholiast. 7. 18. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 31. 50. 112.
Appianus. . . . . 47.
Appulejus. . . . . 49. 72.
Aratus . . . . . 69.
Aristaenetus. . . . . 39. 68. 70. 71.
Aristophanes. . . . . 50. 55. 68. 106.
Artemidorus. . . . . 117.
Athenaeus. . 32. 58. 62. 68. 73. 74. 105. 107.

Biblioth. Coisl. Montfauc. . . . . 104.
Bion. . . . . 3.

Callimachus. 2. 3. 4. 6. 10. 11. 12. 19. 25. 48. 50. 54. 55. 60. 62. 65. 109. 120.
Clemens Alexandrinus. . . . . 72.

Dionysius Halicarn. . . . . 70.
— Periegetes. . . . . 38. 42.
Dioscorides. . . . . 24. 59. 74.
Diphilus. . . . . 53.

Empedocles. . . . . 86.
Etymol. Magn. . . . . 32. 38. 39. 98.
Euripides. . . . 54. 60. 66. 72. 84. 106. 108.
Eustathius. . . . . 50.

Galenus. . . . . 79.

Harmenopulus. . . . . 2.
Harpocration. . . . . 40.
Hermias MS. . . . . 118.
Herodes Jambographus. . . . . 104.
Herodotus. . . . . 106. 109.
Hesiodus. . . . . 18. 22. 24. 26.
Hesychius. 6. 7. 8. 16. 26. 29. 33. 38. 39. 41.
50. 55. 56. 77. 78. 83. 84. 115.
Homerus. . . . . 17. 120.
Hymni Homeridarum. 15. 16. 17. 18. 19. 20.
21. 22. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 31. 48.

Isaeus. . . . . 108.
Iuvenalis. . . . . 12.

Libanius. . . . . 54.
Di-Lucas. . . . . 52.
Lucianus. . . . . 37. 71. 100. 108.
Lycophron et Schol. . . . . 6. 7. 8. 55.

Maximus. . . . . 39. 104. 107.
Menander. . . . . 104.
Moschus. . . . . 3. 5. 48.

Nicander et Schol. . . . . 39. 105.

Ovidius. . . . . 109. 123.
Orpheus . . . . . 18. 24. 25. 30. 112. 120.

Paroemiographi. . . . . 107.
Philo Judaeus. . . . . 100.
Philostratus. . . . . 67. 68. 73.
Photius. . . . . 116. 118. 119.
Phrynichus. . . . . 59.
Pindarus et Schol. . . . . 66.
Plato. 50. 59. 63. 64. 65. 67. 68. 69. 70. 73. 78. 84. 85. 87. 107.
Plautus. . . . . 107.
Plinius Min. . . . . 104.
Plutarchus. . . . . 69. 70. 73. 74. 83. 87. 117.
Pollux (Julius). . . . . 39. 47. 51. 106.
Proclus. . . . . 104.

Quintilianus. . . . . 104.

Rutilius Lupus. . . . . 116. 117.

Sallustius . . . . . 122.
Sidon. Apollinaris . . . . . 122.
Sophocles. . . . . 5. 68. 106. 107. 108.
Stobaeus. . . . . 104. 105. 107. 113.

Strabo. . . . . 117.
Suetonius. . . . . 48.
Suidas. 15. 23. 24. 33. 39. 49. 50. 51. 52. 53. 55. 78.

Tacitus . . . . . 122.
Terentius. . . . . 105.
Theocritus. . . . . 31. 32. 33. 61. 62. 100.
Theophrastus. . . . . 108.
Thucydides. . . . . 15.
Timaei Lex. Platon. . 50. 52. 59. 64. 65. 77. 84. 87.

Xenophon. . . 105. 106. 108. 112. 114. 115.

Zenobius. . . . . 104.
Zoilus. . . . . 120.